AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES,

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

TOMUS SEXTUS.

BIBLIOTECA NAPOLI

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI,
M DCC XXVII.

MAGNIFICO ATQVE GENEROSISSIMO

DOMINO, DOMINO

IO. SIGISMVNDO HARTLIEB DE WALSPORN,

INCLVTÆ REIP. PATRIÆ CONSULI SENIORI ET H. T. REGENTI

NEC NON

SCHOLARCHÆ LONGE MERITISSIMO

DOMINO ET MÆCE-
NATI SVO

DEVOTISSIMO ANIMI CVLTV
ÆTERNVM SVSPICIENDO

Hoc, quicquid eſt libelli, demiſſe dica-
tum conſecratumque cupit

J. G. SCHELHORNIUS.

Ad

AD TE festinat, VIR GENEROSISSIME, quem Venerabili TVO NOMINI nuncupatum conspicis, libellus hicce, tenuis quidem & incomtus,

at devotus animi mei TIBI devinctiſſimi index, in ipſo limine enarraturus ſtrictim & conciſe, quæ prolixo etiam atque copioſo ſermone digne ediſſeri nequeunt, cauſas ad id cultus obſervantiſſimi genus me non tam permoventes, quam compellentes fortiſſime. Scilicet haud recentia tantum ſunt ac nupera exoptatiſſimi TVI favoris, quæ

quæ publicam gratæ mentis profeſſionem jure quodam ſuo a me expoſcunt, documenta, ſed a longo tempore & ipſa prima mea puritia repetenda. Memini enim, nec unquam ſine ingenti voluptate recordor, TIBI jam olim, cum tenellus tiro in eodem, in quo nunc TVA & Incluti noſtri Magiſtratus benevolentia docentis partes ſuſtineo, Ly-

ceo Pieridum caſtra ſectari inciperem, non diſplicuiſſe exilia balbutientis meæ ætatis tentamina. Neque vero dein exuiſti propenſam in me voluntatem, ſed eadem cum meis annis incrementa capiente in ipſas me Academias proſecutus es, inque Alma Salana perjucundo frui voluiſti Generoſiſſimi, cujus jam optimis conſiliis non absque inſigni

emo-

emolumento utitur communis patria, quemque Patronum nunc colo, Filii contubernio, ut teſtis ſic eſſem oculatus cum reliquarum Ejus virtutum, tum præcipue indefeſſi illius ardoris, quo in ipſa Themidos adyta feliciter penetravit. Hodienum quoque devota mente in Eorum mihi referendus es numerum, qui meis quali-

buscunque conatibus & ſtudiis bene volunt, eaque provecta cupiunt. Præterea cum Eccleſiæ Scholæque noſtræ ſuprema auctoritate præſis, vigilique ſollicitudine pro earum ſalute excubes, TIBI potiſſimum, VIR MAGNIFICE, otii negotiique mei rationes reddendas eſſe cenſeo, ſperans, fore, ut levidenſe munuſculum

hoc

hoc chartaceum, in quo memorabilia hiſtoriæ reformationis Eccleſiæ patriæ tabulario publico adjutus delineare anniſus ſum, in obſidem maximæ meæ erga TE obſervantiæ placido vultu accipias, meque deſideratiſſimo TVO Patrocinio tueri, beare ac fovere pergas. Ego autem perpetuus ero rariſſimæ TVÆ in Deum

pie-

pietatis, incomparabilis in tanto faſtigio modeſtiæ ac lenitatis, atque cæterarum præſtantiſſimi animi dotium, quibus dudum omnium bonorum civium amorem & reverentiam TIBI conciliaſti, admirator, nulli unquam TVORVM clientum in TE ſuſpiciendo, in TE veneranndo primas conceſſurus.

Ser-

DEDICATIO.

Servet TE, MÆCENAS, propitium Numen in ſuaviſſimæ Patriæ præſidium & dulce decus, in Eccleſiæ Scholæque noſtræ tutamen diutiſſime vegetum, ac cum Generoſa TVA Proſapia omnigena felicitate cumulatum, faxitque, ut ſupra nepotes, in avitæ gloriæ ſpem jam alacriter ſuccreſcentes, ulterius plures Natos Natorum,

rum, & qui naſcentur ab illis, lætus videas! Ita vovebam Memmingæ A. R. S. MDCCXXVII. d. 17. Januar.

SVM-

SVMMA HVIVS TOMI.

I. *Analecta ad Hiſtoriam Confeſſionis Tetrapolitanæ. pag. 305.*

II. *Documenta ad Hiſtoriam Confeſſionis Tetrapolitanæ. pag. 384.*

III. *Diſcipuli de Temporibus Monitum de præjudicio hermeneutico accuratiorem Apocalypſeos explicationem etiamnum impediente. pag. 452.*

IV. *Jac. Bruckeri Notitia rariſſimæ Verſionis Germanicæ libri Pſalmorum ab Ottmaro Luſcinio confectæ. pag. 455.*

V. *Commentatiuncula de ejusd. Luſcinii Verſione Latina Pſalterii aliisque ſcriptis. pag. 478.*

VI. *Specimen Supplementorum G. H. Welſchii ad Bibliothecam Geſnero-Simlero-Friſianam. pag. 490.*

VII. *Jul. Cæſaris Scaligeri Epiſtolæ nonnullæ. pag. 508.*
VIII. *Henrici & Hadriani Valeſiorum ad Portnerum Epiſtolæ. pag. 529.*
IX. *D. P. J. Speneri ad Schilterum Epiſtolæ. pag. 549.*
X. *Th. Spizelii Elogium Thomæ Lanſii. pag. 577.*
XI. *Ejusd. Elogium J. B. Schuppii. pag. 585.*
XII. *Ejusd. Elogium Hartmanni Creidii. pag. 590.*
XIII. *Variæ Obſervationes. pag. 596.*

S. P. D.

B. C. D.

I.

ANALECTA
AD HISTORIAM CONFESSIONIS TETRAPOLITANÆ,

In quibus

Simul haud pauca, Reformationis Eccleſiæ Memmingenſis hiſtoriam concernentia, exhibentur.

§. 1.

HAud facile ulla hiſtoriæ eccleſiaſticæ pars tantopere eruditorum induſtriam exercuit, tamque copioſe, curate & ſolerter tractata fuit, quam ea, quæ res tempore emendati a Deo, Luthero aliorumque miniſterio cœtus divinioris geſtas complectitur. Fundum hunc poſt Jo. Slei-

danum non minus proſpere quam diligenter excoluit præſertim Illuſtriſſimus Vitus Ludovicus de Seckendorff, Vir pietatis, doctrinæ, prudentiæ aliarumque virtutum laude etiam poſt fata longe florentiſſimus, qui ſi nihil aliud præſtitiſſet, vel ſolo Commentario hiſtorico & apologetico de Lutheraniſmo, immortalem nominis gloriam apud omnes bonos promeritus eſſet. In ea vero litium tunc inter iſtos quoque, qui a Romana eccleſia ſeceſſionem fecerant, exortarum diverſitate, in ea rerum memorabilium affluentia non potuit non poſt felicem & largam meſſem aliis relinquere ſpicilegia: neque in hominem, etſi ſtudioſiſſimum, cadere videtur, omnia hic ἀξιογνωσα ita exhaurire, ut non ſemper quædam curatius excutienda aliorum ſedulitati ſuperſint. Mihi tum demum abſoluti quid & conſummati expectandum videtur, ſi ſuæ quisque civitatis res ejus ævi notabiliores ſollicite, fideliter ac ſtudio, quanto poteſt, maximo exponat, ſed inſtructus documentis publicis & authenticis, ſed aditu ad ea etiam, quæ alias ſummopere celantur, gaudens. Quam vellem, ut illo otio fruerer, iisque me viribus munitum cernerem, quæ ad hiſtoriam reformationis eccleſiæ patriæ

plene

plene & ἀκριβῶς enarrandam ſufficerent! A bono enim cive alienum arbitror, in exteris inveſtigandis gnavum & curioſum eſſe, domeſtica autem negligere. Sed quum nec mea imbecillitas, neque temporis, quo me circumſcriptum eſſe video, anguſtia, neque hujus opellæ limites prolixam & plenam earum rerum tractationem mihi permittant, animo ſedet, ea præcipue heic commemorare, quæ hiſtoriæ Confeſſionis Tetrapolitanæ lucem aliquam affundunt. Inter omnes namque conſtat, Memmingam quoque meam illam Divo Carolo, Imperatori Auguſtiſſimo in famigeratiſſimis iſtis comitiis Auguſtanis A. MDXXX. cum Argentorato, Conſtantia & Lindavia exhibuiſſe. Non vero integram ejus Confeſſionis hiſtoriam (quæ nonniſi ſuppetiis Argentinenſium, Lindavienſium & Conſtantienſium, a quibus tamen nunc poſt mutata ſacra nihil ſubſidii ſperandum adhibitis, perfici poteſt) tibi polliceor, ſed analecta tantum, eaque, quæ potiſſimum patriam meam concernunt. Idem ſaxum jam volvit Theologus maximæ & eruditionis & famæ D. Gottlieb Wernsdorffius, in diſſertatione peculiari, Wittenbergæ A. MDCCXXI. quarta vice typis exſcripta,

quam hac exercitatione in nonnullis ſupplere & illuſtrare conabor. Ad quod rite perficiendum mearum eſſe partium duco, eccleſiæ patriæ faciem a primis repurgatorum in ea ſacrorum initiis ad exhibitam uſque confeſſionem ἀνευ παθων delineare, confeſſionis deinde fata deſcribere, ac ejus quoque hiſtoriam literariam adjicere, inſperſis & in fine annexis variis documentis, quæ meæ narrationi fidem conciliare poſſunt. Conceſſu enim incluti noſtri Magiſtratus, cujus laus non infima eſt, quod literas fovet, & literatis favet, mecum ex tabulario publico benevole communicavit, quæ huic inſtituto inſervire videbantur, Conſultiſſimus & Ampliſſimus D. Jo. Sigismundus Schüzius, J. U. Licentiatus & Tabularum publicarum apud nos Director optime meritus indiesque merens, Patronus meus debita obſervantia colendus, cujus ſingularis humanitas publice heic mihi prædicanda eſt.

§. 2.

Non autem incongruum videtur, hac occaſione pauca præmittere de eccleſiæ patriæ ante emendatam religionem ſtatu. Scilicet nec eam reliquit intactam curiæ Roma-

Romanæ inſatiabilis illa & decantatiſſima auri cupido, quæ in ipſis tenebris, quibus olim ante Lutheri ævum orbis obfuſcatus erat, viris piis & cordatis tot flebiles gemitus, tot graves querelas & ſuſpiria, libertatem anhelantia, elicuit, ac reformationi poſthac anſam præbuit. Neque Memminga mea caruit veritatis teſtibus, ſub jugo intolerabili gementibus, at maſculis tamen & intrepidis. En unum inſtar omnium, digniſſimum meo judicio, cujus nomen oblivioni in qua hactenus jacuit, eripiatur. Eſt is Bernhardinus Bide, liberalium artium Magiſter, cujus carmen prolixum legere mihi licuit, Anno circiter MCCCCLXXX. vernaculo ſermone compoſitum, ſi poëſin ſpectes, pro ejus ætatis genio aſperum ſatis & horridum, ſi res ipſas, grave & memorabile. Cecinit illud occaſione litium, quas recenſere hujus loci haud eſt, inter aliquot reciprocatarum ob præceptoriam (liceat voce barbara uti, qua ſummam in monaſteriis ordinis S. Antonii indigitant dignitatem) obtinendam, quam ſibi tandem vindicavit Gerardus quidam, mali commatis homo, bullis, quas vocant, pontificiis, auro redemtis, munitus, detruſo iſto, qui rite electus, & ab

Epiſcopo Auguſtano confirmatus erat. Eas igitur altercationes referens vir modo laudatus, graviter invehitur in nundinationes Romanas, quibus cuncta venialia erant, nec inter cætera aſſeverare dubitat, Romæ eo proceſſiſſe lucri ſtudium, ut, ſi quis ſorte decretum pontificium deſideraverit, in quo ſtabiliatur, non dari amplius orcum, terrificum reſonantem fremitu, umbrisque triſtibus tetrum, modo nummis bene inſtructus ſit, non difficulter illud obtinere queat. Accipe ipſa Poëtæ verba, ipſas ejus querimonias:

Innerthalb in ſieben Jaren
möcht einem billich worden ſeyn grauen,
mit Biſchöff, Aebten und Prælaten,
die all Bullen brachten,
aine über die andern,
das iſt den Römern ein ſchanden:
wann ich ſilber und gold hett,
ich mein luter ich wett
Brieff, Bullen und Inſtrumenten bringen
gar liederlich und ringen,
daſs kein höll nie wär;
das wören gutte mär.
Merk einer, wie ich dem nach wolt gan,
ich wollt mir Inſtrument machen lan

uff

uff die wort, die ſind war,
niemand mag mir ſagen zwar,
ſit Jeſus hat die hell erſtört,
ſo han ich nie gehört,
welcher darnach ein ſtein daran hab tragen,
mir künt es nie keiner ſagen,
ſo mag ich ſprechen wie vor
die hell hat weder thür noch thor,
wan es was dazemal kein zimmerman,
der das thor kint henken an,
dorum ſag ich, wann ich geld bet,
ſo waiſs ich wol ich wett
Bullen von Rom bringen,
ich bett es ein guter dingen,
das die hell nicht wieder gemacht wer
und einer zu allen örtern hinauſs säch.

In ſequentibus eo vehementiæ progreditur auctor, ut ipſum etiam exitium Romæ imprecetur, illamque juris & æqui omnis expertem eo tempore fuiſſe aſſerat. Sed hæc & alia miſſa faciens, operæ pretium eſſe arbitror, heic inſerere Maximiliani I. Imperatoris glorioſiſſimæ memoriæ mandatum, ex autographo a me deſcriptum, quo Memmingenſibus ſevere A. MDXV. interdixit, ne a familiæ Dominicanæ monachis Auguſtanis,

indulgentiarum mangonibus, loculos ſibi emungi patiuntur.

Wir Maximilian von Gots Gnaden Erwelter Romiſcher Kayſer zu allenn zeiten Merer des Reichs Germanien, zu Hungarn, Dalmacien, Croacien, &c. Kunig, Erz-Herzog zu Oſterreich, Herzog zu Burgund, zu Brabannt und Pfalzgrave, &c. Empieten unnſern und des Reichs lieben getreuen Burgermeiſter und Rat der Stat Memmingen unſer Gnad und alles guet. Lieben Getreuen. Unns iſt glaublich angelangt, wie die Brueder Ordens zu Augſpurg in verſchiener zeit von Bäpſtlicher Heiligkeit ain Indulgennz und Ablaſs zu Bauung irs Cloſters daſelbs zu Augſpurg auf Enr und etlich annder unnſer und des Reichs Stat erlangt, und in Crafft deſſelben Ablas ain merkliche Summa gelds darauf einpracht haben, und noch fiir und für einbringen ſollen. Dieweil dann ſolchs on unnſer als Römiſchen Kayſers wiſſen und verhengnus beſchehen iſt, und die vom heiligen Geiſt in Saxea zu Rom (a) auch ſolch

(a) Ordinis S. Spiritus inſtitutum eſt, miſeros, valetudine & ætate infirmos, pauperes, orphanos & expoſi-

ſolch Indulgenz und Ablas erworben, die wir dann denſelben vom heiligen Geiſt, in betrachtung, das ſolch Gelt allain zu underhaltung der Armen dürfftigen um Goz willen und zu Goz dienſten und kain ander ſachen angelegt wirdet, auf ir bete, auf Ewr und etlich annder unnſer und des Reichs Stet zuvor zuegelaſſen haben. Demnach und damit durch ſolch der Prediger oder annderer Ablas unnſer und des Reichs unnderthannen nit erſchöpfft, und

poſititios ſuſcipere. Ejus igitur curæ demandata ſunt Noſocomia & Xenodochia, inter quæ caput effert magnum illud & ampliſſimum hoſpitale Romanum, cui adjacet templum S. Spiritus in Saxia, ita vocatum a Saxonibus exulibus, qui Caroli M. ævo Romam veniſſe, ac in ea regione templum, B. Virgini Mariæ conſecratum, ædificaſſe dicuntur, prout refert Maximilianus Miſſon in Itinerario Part. II. p. 736. edit. Lipſ. 1713. Hunc ordinem ſeculo a Chriſto nato duodecimo inſtituit Guido ex Comitibus Montis peſſulanis, de cujus primatu jam a longo tempore diſceptant Romani & Montis peſſulani. Qui illis eum tribuunt, etiam extari, ſe nominant fratres Ordinis S. Spiritus Romæ in Saxia, quale Monaſterium Memmingæ hodienum floret. Vid. Petri Saulnier Galli, Romanæ domus Profeſſi diſſ. de capite Sacri Ordinis S. Spiritus, in qua ortus, progreſſusque ordinis totius, ac ſpeciatim Romanæ domus amplitudo, prærogativum jus, & œconomia diſſeruntur, edit. Lugd. 1694. in 4. & alia ſcripta, quorum P. II. hujus opuſculi p. 423. ſq. memini.

die vom heiligen Geist mit Irer Indulgenz verhindert werden, so empfehlen wir Euch bey vermeydung unnser sweren ungnad und straff ernstlich gepietend und wollen, das Ir alles das Gelt, so die benannten Prediger oder yemands annder ausserhalb der vom heiligen Geist in Saxea also erlangt, in Arrest und verpot leget, und das bis auf weiter unsern bevelch nyemands volgen, auch hinfüro solchen Ablas unnd Indulgenz der Prediger Munich, noch yemands anndern, sonder unnsers wissen, in Ewr Stat weiter nit publiciren, ausgeben, anschlahen noch verkunden lasset, sonnder unns dieselben zueschiket, und dawider ganz kayn annders thuet, damit wir nit geursacht werden, in annder weg gegen Euch zu handlen. Daran thuet Ir unnser gefallen, und Maynung. Geben in unnser Stat Ynsprugg am sybenden tag des Monats Marcy, nach Cristi Geburt funffzehenhundert und im funffzehenden, unnser Reiche des Römischen im dreyssigsten und des Hungarischen im fiinff und zwainzigsten Jaren, &c.

Ex his litteris, oppido memorabilibus, patet, Imperatori Optimo Maximo cognitum

gnitum fuiſſe atque perſpectum ſatis indulgentiarum abuſum, ac valde diſplicuiſſe iſtiusmodi veniarum nundinationem, cumprimis tum a Dominicanæ familiæ ſodalibus inſtitutam. Felicem igitur eo nomine Memmingam meam æſtimo, cui Cæſaris mandato cautum fuit, ne ab ejus farinæ agyrtis & inſtitoribus, cœlum venale crepantibus, opibus ſuis inſidias poni pateretur.

§. 3.

His præmiſſis ad ea accedo tempora, quibus Deo duce & auſpice purioris religionis dogmata, ſpiſſæ antehac caligini immerſa, dulciſſimæ patriæ reſtitui cœperunt. Initium A. MDXXIII. factum, Senatu primo paululum renitente, poſtea connivente, denique annuente & promovente. Equidem exorientes ſenſim divinæ veritatis radios reſtinguere, atramque nobis noctem rurſus offundere omni niſu conatus eſt Chriſtophorus, Epiſcopus tum Auguſtanus, litteris eo anno die ſolis poſt diviſionis Apoſtolorum Dillingæ ad magiſtratum noſtrum datis, in quibus eum laudat, quod Lutheri partibus nondum acceſſerit, de civibus vero quibusdam, ejus dogmata jam ſequentibus,

bus, conqueritur, eosque repreſſos cupit. Nonnulla inde delibare, ab hoc loco alienum haud eſſe autumo.

Wiewol ir und die Ewren unns biſsher, und beſonder, ſeid die betrüglich Lere und underweyſung Martini Luthers und ſeiner anheng aufgeſtanden iſt, alwegen für Criſtenlich und beſtentlich beruembt worden ſeyen, ſo lanngt unns doch an, wie ſich etlich wenig der Ewrn ungelert Layen auch verweyſen laſſen, und darzue underſtanden haben ſollen, ander mer zu Inen zu verweyſen, das unns, wa dem alſo, Ewer und Ewers loblichen Communs halb gar layd und miſsfellig wäre. Dann wiewol der Luther und ſeine anheng anfangs von etlichen der kirchen-diener miſspreuchen, und andern viel Criſtlicher und gueter leren geſchriben, ſo haben ſy doch darunder ſo viel betrüglichs gifftes eingemiſcht, daraus biſsher khain beſſerung oder meerung göttlichs Lobs, ſonnder nicht anders dann hinleſſigkeit, leichtfertigkeit und ergernus gegen Got und der welt erwachſſen, und gröſslich zu beſorgen iſt, wa Got der Herr nit mit ſonndern Gnaden darein ſehen, das daraus nicht anders, dann ganz verfurren und ver-

verderben der Seelen, Leib, Eeren und guts erfolgen werd. Dann ſo man nicht mer vaſten, beichten, bethen, Meſshören, die Mueter Criſti, und ander ſein lieb heiligen nicht mer in Got eeren, und um Ir fürbitt gegen Gott anruffen, ſonnder meniglich nach ſeinem freyen willen leben, und zu yeden zeiten die biſsher verbotten Speiſs nach ſeim gevallen und wolluſt nieſſen, und anders mer thun ſolt und möcht, wie dann die Lutheriſchen gar übel davon ſchreiben und leren, ſo würd dardurch nicht allein der ganz Criſtenlich glaub und geiſtliche Oberkeit vertrukt, ſonnder auch dem weltlichen Regiment alle gehorſam entzogen, zu lets groſs Plutvergieſſen daraus erwachſen, und alles weſen zu nichten werden &c. &c.

Sed in vacuas auras Præſulem queſtus ſuos fruſtra effudiſſe, ſequentia edocebunt.

§. 4.

Mei autem inſtituti ratio potiſſimum a me flagitare videtur, ut nunc oſtendam, qui qualesque fuerint, quorum præcipue opera patria Romani Pontificis

partes

partes deſeruerit. Inde enim apparebit, quam mentem tum, cum in Comitiis Auguſtanis ſuam Confeſſionem cum reliquis tribus civitatibus Cæſari exhiberet, foverit in articulo de ſacra Cœna, ita ambigue concepto, ut neſcias, num Lutheri, an Zwinglii ſententiæ urbes illæ quatuor calculum ſuum adjecerint. Notum etenim eſt, utrumque maſcule quidem & fortiter Romana impugnaſſe dogmata, verum non conveniſſe inter ſe in nonnullis fidei capitibus, præſertim in articulo de ſacra ſynaxi, hincque natos eſſe diſſenſus acerrimos, ac lites, ne hodie quidem prorſus ſopitas.

§. 5.

Primus igitur, qui Pontificum ſtatutis apud nos publice ſe opponere auſus eſt, fuit Chriſtophorus Schappeler, SS. Theologiæ Licentiatus, Sangallenſis origine, in æde primaria Memmingæ, S. Martino olim dicata, verbi divini præco, Udalrico Zwinglio amiciſſimus, quem etiam Tiguri A. 1523. ipſe inviſit, ejusque conſiliis uſus, redux e ſuggeſtu ea profiteri non veritus eſt, quæ monachis & ſacrificulis, quorum culinis & ventribus male ſic conſulebatur, bilem moverunt, tru-

trucemque eorum iram in illum concitarunt, avide contra ejus Sermones excipiente maxima civium parte, Evangelii cupida, & avitæ ſuperſtitionis pertæſa. Hæreſeos ergo dicam mox ei ſcripſerunt adverſarii, principiis obſtandum eſſe rati, & quem argumentis refellere nequibant, convitiis aggreſſi ſunt. Ægre autem id ferente noſtro magiſtratu, ac ſevere interdicente, ne amplius probris eum laceſſerent, ipſi viciſſim quoque omnem moderationem graviter commendante, clam eum variis criminationibus Epiſcopo Auguſtano reddiderunt inviſum, ac acerrima illius in eum provocarunt odia. Res igitur eo tandem proceſſit, ut Schappelerus A. MDXXIV. d. 13. Jan. a Præſule Auguſtano ſequenti formula, minarum pleniſſima, citaretur.

Chriſtofferus Dei & Apoſtolicæ ſe-„
dis gratia Epiſcopus Auguſtenſis, di-„
lectis in Chriſto nobis devotis divi-„
norum cooperatoribus Eccleſiæ pa-„
rochialis Sancti Martini oppidi impe-„
rialis Memmingen, ceterisque ſalu-„
tem in Domino. Tenore preſen-„
cium vobis & cuilibet veſtrum in ſo-„
lidum„

„lidum ſub pena indignacionis man-
„damus, ut ſtatim viſis ac receptis pre-
„ſentibus noſtra ex parte premptorie
„citare curetis Chriſtofferum Schappe-
„ler, aſſertum beneficiatum, atque
„predicatorem dicti oppidi Memmin-
„gen, ut feria ſexta poſt feſtum Con-
„verſionis Sancti Pauli proxime ven-
„tura compareat coram nobis in op-
„pido & caſtro noſtris Dillingen, no-
„bis ſuper nonnullis articulis ſibi obji-
„ciendis in juſtitia reſponſurus, ſub ex-
„communicationis, ſuſpenſionis a di-
„vinis ingreſſis eccleſiarum, ac etiam
„privationis omnium & ſingulorum
„beneficiorum ſuorum, que obtinet
„& in poſterum obtinebit, atque in-
„habilitatis ad illa & alia obtinenda,
„confiſcationisque omnium & ſingu-
„lorum bonorum fiſco noſtro appli-
„candorum penis. Quod ſi dictus
„Chriſtofferus in prevato citationis ter-
„mino, ut præfertur, comparere cu-
„raverit ſive non, nos nihilominus ad
„declaracionem penarum predictarum
„ipſius dictante contumacia procedere
„curabimus juſtitia mediante, dictoque
„citato de cetero non alibi niſi in val-
„vis ſive portis eccleſie parochialis

„pre-

prefati oppidi Dillingen per publi-„
cam proclamationem edicti citato &„
vocato. Datum in dicto caſtro no-„
ſtro Dillingen Anno &c. vigeſimo„
quarto die tercia decima Menſis Ja-„
nuarii ſub ſigilli noſtri impreſſione.„

§. 6.

Quum vero minus conſultum videretur magiſtratui, ut in aperta ſe mitteret pericula Schappelerus, Epiſcopum tam per literas, quam legatos eo permovere conatus eſt, ut non Dillingæ, ſed Auguſtæ Vindelicorum, quæ ſedes epiſcopalis eſt, ei, uno vel duobus ordinis Senatorii Viris ſtipato, comparere, cauſamque ſuam agere liceret, fide prius ipſi publica data, ne inſons vel in carcerem detruderetur, vel ad ſupplicium raperetur. Verum Præſulis animus quibusvis precibus flecti haud potuit, legatique re infecta domum rediere. Atque ita anathematis fulmine in eum ſævitum eſt, valvis templi S. Martini noctu appenſa, ſed, antequam innoteſceret, ad magiſtratum delata ſchedula, quam hic deſcriptam exhibebo:

„Hic auctoritate ordinaria denunciatur „excommunicatus ac declaratur Chri„ſtofferus Schappeler predicator oppi„di Memmingen ob non paricionem „monitorii. Contra eum decretum & „executum inſtante fiſco R. P. & D. D. „Epiſcopi Auguſtenſis.

§. 7.

Prolixum foret, referre omnia, quæ deinceps hac in re ultro citroque geſta ſunt. Sufficiat dixiſſe, ſenatum ulterius tam ſuam, quam concionatoris ſui cauſam egiſſe maſcule & apud Imperii Ordines, Noribergæ congregatos, & apud fœderis Suevici ſocios, quibus Memmingenſes ſuſpectos ac inviſos reddere moliebatur Præſul Auguſtanus, tandemque A. MDXXIV. d. 7. Decembris euchariſtiam prima vice ſub utraque ſpecie adminiſtratam eſſe. Eo ipſo autem anno in feſto nativitatis Chriſti horis veſpertinis in ipſo D. Virginis templo, ſacrificis omne fere illud tempus, quod ſermoni ſacro habendo deſtinatum erat, cantillando, fumigando aliisque ritibus abſumentibus, non leves exortæ ſunt turbæ, quæ tamen rurſus, Joanne Kellero, Conſule, maximæ auctoritatis viro, aliisque ſex e Sena-

Senatorum ordine intervenientibus, ſopitæ fuerunt. Ii enim populo, a monachis ſe deludi indigne ferenti, ac illas ceremonias nauſeanti promiſerunt, ſe curaturos, ut propediem magiſtratus auſpiciis diſputatio publica in curia inter Schappelerum ejusque adverſarios inſtitueretur.

§. 8.

Anno igitur MDXXV. poſtridie Calendas Januarii auctoritate publica in curiam convocati fuere omnes monachi & ſacerdotes, heic degentes, ut cum Schappelero inirent colloquium. Propoſuit autem is eorum diſquiſitioni ſeptem articulos e ſolis ſacris litteris, non e priſcis doctoribus aut pontificum decretis dijudicandos, quorum ſummam hic recitare haud piget. I. ſtatuit, confeſſionem, quam vocant, auricularem non eſſe neceſſariam. II. invocationem Mariæ aliorumque Sanctorum rejiciendam. III. decimas in novi fœderis ſcriptis non flagitari. IV. ſacram cœnam non eſſe ſacrificium, ſed recordationem certiſſimæ remittendorum peccatorum promiſſionis, a Deo factæ, & Chriſti morte firmatæ. V. purgatorium e ſacra Scriptura adſtrui

haud poſſe. VI. ſacramentum cœnæ integrum ſub utraque ſpecie, non mutilatum., juxta mandatum Chriſti omnibus Chriſtianis, id petentibus, diſpenſandum eſſe. VII. unicum ſpirituale ſacerdotium omnibus fidelibus eſſe commune. De his ergo capitibus per quinque dies publice coram Senatu diſceptatum fuit præſide Ulrico Wolffhardo, artis ſalutaris Doctore, Viro eruditione & virtutibus ornatiſſimo. Cum diſputantes, tum eos, qui e qualibet tribu auditorum occuparunt ſubſellia, longo ordine *(b)* recenſet Vir non incelebris D. Chriſtophorus Schorerus in Chronico Memmingenſi *(c)*. Eo vero

(b) Fuit inter hos Waltherus Iſenberg, cui debemus librum hodie perrarum & fere incognitum, hoc titulo gaudentem: *Wie die mechtige Erb-Künigreich und fürſtenthumb Hiſpania, Hungern, und Gelldern zu den löblichen Heuſern Oeſterreich und Burgundi kommen ſein biſs auf unſern allergnedigſten Herrn, Herrn Karl Erwölten Römiſchen und Hiſpaniſchen &c. Künigen &c. als den rechten natürlichen Erbherrn derſelben Erbkünigreichen &c.* Impreſſus eſt A. 1520. Auguſtæ per Joannem Schönſperger in fol. figurisque ligno inciſis ornatus. E dedicatione ad Carolum V. didici, auctorem olim Div. Maximiliano fuiſſe ab epiſtolis.

(c) Pag. 63. ſeq. Is præſidem Diſputationis Fuchshardum nuncupat, ſed minus recte, notante id

vero eventu res acta fuit, ut victor decerneretur Schappelerus, qui poſtea alios viginti quinque articulos, ceremonias eccleſiaſticas aliaque concernentes conſcripſit, quos Zwingliana ſapuiſſe dogmata annales & manuſcripti & typis excuſi teſtantur.

§. 9.

His ita geſtis eodem anno, qui plenus turbarum per integram ferme Germaniam a ruſticis motarum fuit, haud pauci quoque ruris nobis vicini coloni furibundo illi Corydonum ſeditioſorum agmini ſe junxerunt. Sed Georgius Truchſeſſius Walpurgus, Suevici fœderis Imperator, cum ſuis copiis ſuperveniens, facile ruſticorum greges repreſſit ac diſſipavit, & quia noſtrorum etiam civium nonnulli in colluſionis ſuſpicionem venerant, quosdam capite plecti juſſit, alios exilio mulctavit. Inter illos fuit M. Paulus Höppen, ludi Latini apud nos moderator. Ab eodem quoque ſeditionis inſimulatus Schappelerus fuit, atque

id jam olim ad marginem viro hiſtoriæ patriæ peritiſſimo.

hinc ad ſupplicium expetitus, qui vero magiſtratus & civium, qui amore ejus toti calebant, opera vix trium horarum ſpatio ante, quam quæreretur, in patriam evaſit.

§. 10.

Ordo itaque nunc poſcit, ut diſpiciamus, jurene an injuria ſeditionis, nefandi illius criminis, reus peragatur Schappelerus. Mihi quidem res nondum iis argumentis confecta eſſe videtur, ut turpi illa macula eum merito notandum eſſe cenſere queam. Fateor præcipuis Suevici Fœderis ſociis fuiſſe ſeditionis commotæ ſuſpectum, ſed præter ejus culpam hanc ipſi invidiam conflatam eſſe judico ab Epiſcopo Auguſtano, cujus maximo ille premebatur odio, ut e ſuperius dictis patet. Suevicum fœdus potiſſimum conſtituebant Imperator, immortali memoria digniſſimus, ſed eo tempore reformatoribus nimis infenſus, Præſules Moguntinus, Salisburgenſis, Bambergicus, Wirzburgenſis, Aiſtetenſis, ipſe Auguſtanus, Guilielmus & Ludovicus fratres Bavariæ Principes, aliique, quibus gratus eſſe haud potuit concionator Zwinglii partibus favens. Et quis

quis neſcit gravamina illa, quæ poſthac a quibusdam imperii civitatibus contra iſtud fœdus fuere exhibita? *(d)*. Quis porro ignorat, teterrima innocuis reformatoribus ab inimicis imputata fuiſſe ſcelera, ut Vatinianum omnium in eos provocaretur odium? Non diffiteor, ruſticos quoque Memmingenſium ditioni ſubjectos turbas excitaſſe, &, articulis quibusdam Magiſtratui exhibitis, jugum excutere voluiſſe: ſed nullibi, licet ſedulo inquiſiverim, deprehendere potui, eorum tumultuum culpam a Senatu in Schappelerum fuiſſe conjectam. Evolvi monumenta ejus ævi authentica haud pauca, ipſas etiam tabulas publicas, quas protocollum vocant, nec inveni, unquam in illarum turbarum diſcuſſione niſi honorificam Schappeleri mentionem fieri. Perluſtravi præterea quædam ſcripta, ipſius Schappeleri manu exarata, in iisque animum, a ciendis ſeditionibus prorſus alienum obſervavi. Nec nullius momenti eſſe reor, quod Alexander Majerus,

(d) Vid. Illuſtr. Jo. Phil. Datt Volumen Rerum Germanicarum, ſive de Pace Imperii publica libros fol. 430. ſeqq.

jerus, Ordinis S. Spiritus eo tempore Memmingæ Magiſter, conſtantiſſimus pontificiarum partium aſſecla, in commentario MSto de rebus ejus ævi notabilioribus, ad ipſum præſertim & ejus monaſterium Memmingamque pertinentibus, de ſeditione ruſticana, in qua & ipſe multa perpeſſus fuerat, differens, Schappeleri ne verbo quidem meminerit.

§. 11.

Non me fugit, poſtulata illa ruſticorum ſive XII. articulos de Libertate Chriſtiana Schappelero a nonnullis adſcribi, at nondum id evictum, aut extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe patet e verbis illuſtriſſ. Sekendorfii *(e)*, qui, ſi quisquam alius, curate & feliciter, tot quippe ſubſidiis inſtructus, in iſtiusmodi res inquiſivit: *Transdanubianis tribui debent articuli illi duodecim, quorum autor etſi a Luthero taceatur, ab aliis tamen nominatur Chriſtophorus Schaplerus, Zwinglianæ*

(e) In Comment. de Lutheraniſmo Lib. II. Sect. III. §. 3. f. 6.

glianæ doctrinæ apud Memmingenſes eccleſiaſtes: notant id Sleidanus in margine Lib. VI. p. m. 128. & Achilles Gaſſarus in Annal. Auguſt. hoc anno: excuſat autem eum autor hiſtoriæ belli ruſticani Petrus Gnodalius, eo argumento, quod ſubactis poſtea a Suevici fœderis ducibus apud Memmingam cohortibus ruſticorum, & ſupplicio in civitate ipſa de aliquibus ſumto, Schaplerus a civibus, ejus innocentia motis, clam in patriam, Sancti Galli oppidum, dimiſſus fuerit. Immo eo ipſo anno in lucem publicam in quarti ordinis forma vernaculo ſermone prodiit Sebaſtiani Lotzeri Apologia, pro Memmingenſi civitate & ejus paſtore ſcripta, tam raro hodie obvia, ut libellis deperditis propemodum accenſeri queat. En integrum ejus ſchedæ, unicam modo philyram implentis, titulum: *Entſchuldigung ainer frummen Chriſtlichen Gemain zu Memmingen mit ſampt ihrem Biſchoff und trewen Botten deß Herrn Chriſtoff Schappeler Prediger allda, von wegen der empörungen, ſo ſich bey uns begeben &c. Im Jar 1525. Sebaſtian Lotzer der jünger von Horb jez in Memmingen.* Ibi auctor Schappelerum laudibus effert, ac per animæ ſalutem jurans teſtatur, eum adeo omni ſeditionis concitatæ cul-

pa vacare, ut potius graviter auditores ſuos a diſſidiis atque turbis ſemper dehortatus ſit, & contra iis pacis ſtudium ſummopere commendaverit. Accipe quædam ejus verba? *Alſo thut unſer frummer Chriſtlicher Prediger, er ſagt yederman die Warheit reichen und armen, nach innhalt des Wort Gotes, und ſtelt Chriſtum da myten auf den plann, wer denſelben annimpt, iſt im ain lieber Bruder, er ſey reich oder arm, da ſieht er kain perſon an, dann er ſucht allain die eer Gots und unſer ſeel hail, Gott wölle in lang mit ſeynen Göttlichen Gnaden bewaren uns zu underweyſen &c. Und wiewol in etlich beſchuldigen, er mache auffrur, ſag ich bey meiner ſeel hail, das er uns alweg mit fleis darfür gebeten hat, uns ermanet ſtyfftig ſtil und freintlich zu ſein, er hat auch von den enperungen nie nichts gewiſt, untz die geſchehen ſind ſagt alweg, bet ich das gewiſt, wolt wol darvor geweſen ſein mit der hylff Gottes.* Sed ipſe tandem ſuam peroret cauſam Schappelerus. Eum enim ſub Chriſtophori Sertorii nomine latere arbitror, cujus literas A. 1525. ad Zwinglium exaratas publicæ luci expoſuit ſummæ eruditionis vir, Jo. Henr. Hottingerus *(f)*, cum eo anno non alium eccleſiaſten, Chri-

Chriſtophori nomine inſignitum, niſi Schappelerum Memminga habuerit. Ita autem is inter reliqua: *Evangelii doctrinam, crucis verbum, nedum miniſtri a Deo legati, ſed & plebs infima hominis viam ſulcantes, extremis viribus, at ſiniſtris ſimul iniquis armis jam jam in unum, quo neſcio Spiritu, coëuntes fovere, tueri atque manu tenere paſſim ſatagunt. — — — Jam tandem in ancipiti re pendente, nec Evangelium, nec pietatem, nec æquitatem denique illam præ ſe ferunt, ſed feroci animo armis alterutrum in ſeſe digladiant ſanguinolentis; hinc caſtra, monaſteria domosque exteras metentes, atque ſpoliantes, bona quæque diripiunt; illinc pagos, villas ac viculos incendio perimunt: ſcilicet juſtitiæ prætextu vindicantes ſeſe absque ullo habenæ moderamine, atque manſuetudine ſpiritus &c.* Ex his literis, familiaribus & ad amicum ſcriptis, in quibus alias ipſa pectoris arcana pandere ſolemus absque fuco, apparere puto animum, iſtas turbas plane abhorrentem, licet in altera quoque parte nimiam in ruſticos tumultuantes ſeverita-

(*f*) In Hiſtor. Eccleſ. N. T. Secul. XVI. Part. II. p. 515. ſqq.

ritatem minus probare videatur Schappelerus.

§. 12.

Ex hactenus itaque dictis quilibet æqui rerum æſtimatores facile judicabunt, quo cenſu habenda ſint ea, quæ perſonatus Timotheus Cæſarinus Baſilius, vel potius J. D. Kutke, deſerto puriori cœtu Pontificis nunc caſtra ſequens, gravis, ſi Diis placet, auctor, cujus ſcurrile ingenium e Dialogis vernaculo ſermone *(g)* editis orbi innoteſcere cœpit, in Politica Catholica, libro convitiorum plauſtris onuſto, de ruſticorum ſeditione diſſerens p. 451. his verbis non ita pridem tradidit: *Ihr erſter Rädels-Führer war anfänglich* Chriſtophorus Schaplerus, *ein eifriger Lutheraner, welcher aus dem einfältigen verführten Volk ſich eine groſſe Armee auf die Baine gebracht, und dieſelbe nicht nur*

(g) h. t. *Drey Faſt- und* Abſtinenz-*Täge, welche in der Catholiſchen Kirch den* 28. 29. *und* 30. Junii Anno 1725. *einfallen; wovon zwey Augſpurger Herren Studenten, ein Catholiſcher, nahmens* Elias, *und ein Lutheriſcher,* Ezechiel *genannt, in vertraulichem* Privat-Diſcurs pro & contra diſputiren &c. *Augſp.* 1725. in 4.

nur mit Gewöhr, ſondern auch mit Geſchüz und Artillerie *verſehen hatte. Bald nach dem dieſer in einer unglüklichen Schlacht darauf gegangen*, ſuccedirte *ihm in noch gröſſerm Anſehen der ſchon gemelte* Thomas Müntzer, *ein Lutheriſcher Prediger &c.* Hæc quaſi ex tripode pronunciat Vir, canina nobilitatus facundia: tot autem nobis mendacia obtrudit, quot lineas. Cum enim tantum abſit, ut primus ruſticani belli concitor fuerit Schappelerus, ut ne fautor quidem ejus dici jure queat, haud difficulter judicabit lector, veri amans, quam fidem mereantur reliqua, magnam ſcilicet manum ex imperita & ſeducta plebecula in certamina eum convocaſſe, armis atque tormentis bellicis inſtruxiſſe, ipſum denique in acie infeliciter cecidiſſe, ſuccedente in ejus locum Thoma Munzero, famoſo illo ac turbulento impoſtore. Eo certe tempore, quo poſt ſtragem ruſticorum ad Francohuſam die Lunæ poſt Cantate, id eſt, 15. Maji A. MDXXV. factam Munzerus ſupplicio affectus fuit, ſacro ſuo munere adhuc Memmingæ functum eſſe Schappelerum, a civibus amatum & æſtimatum, teſtantur annales noſtri, cum manuſcripti, tum impreſſi, qui eum die Lunæ poſt Aſcenſionis feſtum

ſtum h. e. d. 29. Maji ultima vice ſermonem ſacrum apud nos habuiſſe memorant. Revocatum igitur ab umbris in dias luminis oras fuiſſe, ſtatuendum eſt, ſi vera ſit Baſilii relatio. Quin & e tabulis publicis didici, A. MDXXVI. die lunæ poſt ferias Bartholomæi magiſtratum noſtrum ab eo accepiſſe literas: & A. MDXXXII. d. 5. Aug. Ambroſium Blaurerum Senatui nunciaſſe, a civibus nonnullis ſe rogatum ut pro eo in officium ſuum reſtituendo intercederet. Martinus autem Cruſius, rerum Memmingenſium apprime peritus, utpote qui ſcholæ noſtræ ab MDLIV. ad A. MDLIX. laudabiliter præfuit, Sangalli eum poſt fugam ſuam ad ſenectutem uſque docuiſſe ſcribit *(b)*. En ejus verba: *Ante annos octoginta circiter ibi* (Memmingæ ſcil.) *Doctor Theol. vixit, Jodocus Gainus Gyntzburgenſis, vir præſtans & prophetico ſpiritu præditus, qui inter concionandum innuebat: inſtare tempus, quo Antichriſtus ſpiritu oris Domini eſſet conficiendus. Eum ſecutus eſt Chriſtophorus Schapplerus Sangallenſis,*

(*b*) In Suevicorum Annalium Paraleipom. f. 82.

lensis, Theol. Licentiatus, qui aperte in errores Pont. Romani invectus, & avide auscultatus est. Delapsus autem in suspicionem rusticani tumultus, cum a fœderatis Sueviæ quæreretur ad supplicium, mire elapsus in patriam est, ibique usque ad senectutem docuit. Petrus denique Gnodalius, præcipuus rerum in bello rusticano gestarum scriptor, postquam multis ejus viri integritatem, assiduam sacrarum literarum meditationem, zelum & vehementiam in vitiis hominum reprehendendis notam fuisse retulisset, addit: *Quare etiam ejus innocentia Memmingensibus probata, cum Confœderati de aliis supplicium sumsissent, cives innocentia ejus moti, eum clam in patriam Sancti Galli, Helvetiæ oppidum dimisere, ubi uxore ex honesta familia ducta, ita vixisse perhibetur, ut & populo gratus fuerit, & integritatis & innocentiæ laudem a plerisque retulerit. (hh).* Sed ad alia progrediamur.

§. 13.

Schappelero suffectus fuit, qui aliquamdiu jam cum ipso docuerat, Simpertus

(*hh*) f. 134. Scriptorum Rerum German. Schardii Tom. II. edit. Giess. 1673.

tus Schenckius, Carthuſiani antea ordinis monachus, obſervantiſſimus itidem Zwinglii cultor, quod ſi non aliis documentis conſtaret, vel ſolæ illius ad hujus, in prælio occiſi, viduam A. MDXXXI. d. 9. Nov. datæ literæ *(i)*, prolixæ & magnificis Zwinglii elogiis ſcatentes, evincerent. Nec mirum id: nam e monumentis coævis cognoſcere mihi licuit, a Tigurinis Schenkium noſtræ civitati conceſſum, ab iisque poſt ruſticanos motus & Schappeleri fugam revocatum, a noſtro autem magiſtratu, id deprecante, dimiſſum haud fuiſſe. Is, cum Suevici fœderis ducenti equites & nongenti pedites belli ruſticani tempore in civitatem noſtram intromiſſi eſſent, citatus coram eorum tribunis Diepoldo de Stain, Euthalio Sigismundo de Berg & Leonhardo de Gundelsheim comparuit, atque ſic cauſam ſuam egit, ut ipſi ab illis permiſſum fuerit, ulterius heic loci verbum Dei prædicare. Verum poſteaquam matrimonio uxorem, haud renitente ſenatu, non ita multo poſt ſibi junxiſſet, eodem anno

(*i*) Quas exhibet J. H. Hottingerus l. c. p. 667. ſqq.

anno a fœderatis Sueviæ magiſtratui noſtro, ut eum cum uxore recens ducta urbe expellerent, mandatum fuit. Ipſas eorum literas, cum breves ſint, huc apponere viſum eſt.

Röm. Keyſ. und Hyſpaniſcher Königl. Majeſt. Chur-Fürſten und anderer Stend des Punds zu Schwaben Potſchaften, Hauptlewt und Räte, yez zu Ulm verſamelt,

Unnſern günſtlichen grus, fründtlich und wyllig dienſt zuvor. Erſamen und Weiſen, beſunder lieben und guten freündt. Aus nottürftigen Urſachen erſuchen wir Euch bey euern Pflichten, damit Ir gemainem Bund verwandt ſein, mit ernſt bevelehend, das Ir zu Stund Ewern Prediger, der ein Kartauſſer geweſt iſt, und ſich in kurz mit einem Weib verhewrat haben ſol, mit ſampt demſelben ſeinem Weib, als unnüz Perſonen aus Ewer Stat treiben und weiſen, und das nit waigern. Das wöllen wir uns zu Euch entlich verſehen. Datum den XIIII. Tag July Anno &c. XXV.

Perſpicis inde, qua ratione ſe geſſerint fœderis Suevici primates erga Evangelii miniſtros, a Pontifice non ſtantes. E-

quidem cives magno numero magiſtratui libellum ſupplicem (*k*) exhibuerunt, majorem in modum obſecrantes, ne privarentur præcone, quem maximo complectebantur amore; at ipſe Schenkius pacis ſtudio, & ne ex ejus præſentia civitati incommoda enaſcerentur, ceſſit atque ita patria mea per integras ſedecim hebdomadas Evangelii miniſterio prorſus caruit.

§. 14.

Tum vero rogatu Senatus ex Helvetia quoque ab Ambroſio Blaurero, Conſtantien-

(*k*) Cujus ſubſcriptio eſt: *E. F. W. underthenige, Geborſame Mitburgere und zunfftygen Man und Frawen in einer groſſen Anzal hie zugegen.* Ibi inter alia hoc Schenkium teſtimonio ornant: *So nun am maiſten an einen guten fridſamen* Predicanten *gelegen, und dan E. F. W. und wir Herr Zimprecht Schenken nit anderſt dann für ein frumen Criſtenlichen, fridſamen und gozforchtigen* Prediger, *auch in allem ſeinem thun und laſſen eyns eyngzogen, erbern, ſtillen, züchtigen Wandel und Weſens erkant, und bey Ime erfunden haben, das Er ongeſcheucht ſeins Leibs und Lebens und groſſer gefahr und geverlichkeit für und für nit allein wider die auffruren, ſondern wider die auffruriſchen dapffer geſtritten und geprediget, und wa Er nit dermaſſen ſo hart wider Sy geſezt, das zu beſorgen, wa es Got nie ſonderlich fürkommen, noch greſſer und erſchrokenliche auffruren von den auffruriſchen erwachſen ſein mecht &c.*

ſtantienſis *(kk)* civitatis Reformatore, miſſus ad nos fuit Georgius Gugy, qui tamen mox ſub ipſa fere muneris ſacri initia Anno MDXXVI. urbe iterum ejiciendus fuiſſet, ſi in omnibus ad fœderis Suevici nutum ſe prorſus componere voluiſſet noſter magiſtratus. Nam & is ſeditioſum ſermonem habuiſſe arguebatur. Facillima ſcilicet hæc viſa eſt ratio, Evangelium ejusque miniſtros omnium exponendi odio. Verum non ejus modo patrocinium in ſe ſuſcepit Senatus, ſed & ex ſpontaneo exilio revocavit Schenkium, quem magni tum nominis fuiſſe, exinde concludo, quod ab Argentoratenſibus & Campidonenſibus poſtea expetitus, atque ab Ulmenſibus A. MDXXXI. cum Martino Bucero & Joanne Oecolampadio aliisque ad ritus ſacros conſtituendos, & eccleſiam ordinandam fuerit adhibitus. Vehementis autem ac fervidioris ingenii plura dedit documenta, e quibus unum heic memorare lubet. Nempe A. MDXXVIII. e ſugge-

(kk) A Conſtantienſibus aliquandiu etiam Memmingæ poſthac commodatum fuiſſe Joannem Vannium: Hottingerus l. c. docet.

ſtu (*l*) aſſerere non dubitavit; *diaboli inventum eſſe ſuperſtitionis plenum (es ſeye ein Teuffelswerk und Abgötterey) organorum muſicorum in ædibus ſacris uſum:* idque eo ſucceſſu, ut ſenatus conſulto organum in S. Martini templo deſtruendum decerneretur. Cumque civium unus, ne id fieret, rogaret, dictitans, ab ejus equidem uſu abſtineri poſſe, haud vero opus eſſe, ut prorſus confringeretur; acerrime reprehenſus fuit ab Eberhardo Zangmeiſtero Conſule, judicante, dignum eum fore, qui capite truncaretur, ſi ad juſtitiæ rigorem res expendenda eſſet (*Er wäre werth, daß man ihn um den Kopff kürzer machte*). Neque dubium mihi eſt, Schenkio conſentiente & applaudente, poſthac A. MDXXXI. altaria confracta, imagines ſculptas templis ejectas, easque, quibus ſedes nonnullæ exornatæ erant, naribus ac digitis fuiſſe mutilatas, quales hodienum ſuperſunt, rigidæ illius εἰκονομαχίας teſtes.

§. 15.

(*l*) Vid. Chriſt. Schoreri Chronicon Memmingenſe. p. 69.

§. 15.

Plurimum præterea civitas noſtra tribuere ſolebat monitis atque auctoritati Theologi non incelebris, Ambroſii Blaureri, Conſtantienſis, e nobili gente prognati, cujus genealogiam Gabriel Bucelinus, Ord. Bened. Monachus, in Conſtantia Topo-Chrono-Stemmato-Graphica *(m)* exhibuit. Ejus vitam & res geſtas expoſuit poſt Melchiorem Adamum *(n)* Clariſſ. Fiſchlinus in Memoria Theologorum Wirtembergenſium reſuſcitata *(o)*. Scriptis ibi recenſitis adjicio ſequentia: 1.) *Warhafft Bericht der handlung zwyſchent Bruder* Anthonyn Vicary *Prediger-Ordens yez* Predicanten *im hoben Stifft zu Coſtanz und* Ambroſi Blaurern *vor ainem Erſamen Rat daſelbſt beſchehen, uff den ain und zwainzigſten Tag deß Winmonats* Anno MDXXV. in 4. 2.) *An die Fürſichtygen, Erſamen und Weyſen Burgermaiſter und Rhat der Chriſtelichen Reichsſtatt Memmingen kurz, einfältig, aber*

(*m*) Part. III. p. 18. ſqq.

(*n*) In Vitis German. Theolog. p. 413. ſqq. edit. Francof. 1653. in 8.

(*o*) Part. I. p. 18. ſqq. conf. Supplem. p. 10. 12. &c.

warhafft und in Gottes Wort gegründte Anzaygung Ambroſii Blaurer, *das die Päpſtiſch Meß dem raynen Glauben in Chriſtum Jeſum entgegen, und deshalb bey ihnen billich unleydenlichs irrtums verdacht und angeſtelt ſeye.* in fol. 1530. 3.) *Ain New geſchicht wie ain Kneblin bey Iſsne umb zwelff Jar wunderbarliche geſicht gehabt und von mancherlay tröuung der Straff Gottes darin geret habe. Durch* Ambroſium Blarer *beſchrieben.* M. D. XXIII. in 4.

(*p*) Duos numos, in ejus honorem cuſos,

(*p*) Hoc ſcripto, unica duntaxat plagula conſtante, Blaurerus teſtis διόπτης, viſiones & ecſtaſes pueri duodecennis memorat, de iisque judicium fert. Nempe Chriſtushofii, in pago Truchſeſſiorum Walputgenſium ditioni ſubjecto prope Iſnam, Imperiale oppidum, is poſt cœnam obdormiens, clauſis oculis poſt vehementes rugitus ventris, ſtomachum perturbantes, non ſine dolore, ad ſudoris uſque effuſionem, varia ſæpe elocutus eſt, quæ a Deo ſibi præcepta eſſe perhibebat, integram ſimul paſſionis dominicæ hiſtoriam enarrans, & calamitates, Germaniam ex juſto Dei judicio preſſuras, præſagiens. Blaurerus eam rem diaboli operationi adſcribebat. *Das obgemelt und mer hab ich ſelbs geſehen und gehört, und wol gemerkt, das es ain gar ſchwarzer Teufel aber in einem weiſſen Mentalin iſt, wiewol das Kind onzweiffel unſchuldig und frum iſt, auch ſtil und ain gut Wort hat, muſs aber ſolche angſt haben, das wir alte ſtorren an ihm lernend,*

ſos, repreſentavit Chriſtianus Junckerus, ὁ μικαρίτης, in Luthero aureo & argenteo (*q*). Multum uſum & maximam familiaritatem ipſi cum Zwinglio & Oecolampadio interceſſiſſe, comprobant plures epiſtolæ, ab eo & ad eum ſcriptæ, quas Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ N. T. inſeruit J. H. Hottingerus, qui in opere illo egregio paſſim quoque varia de ipſo notatu digna prodidit. Præſentiam realem euchariſticam eum haud ſtatuiſſe, demonſtravit Reverendiſſimus Tubingenſium Cancellarius, Theologus πολυμαθέσατος D. Chriſtoph. Matthæus Pfaffius (*r*).

§. 16.

Hujus conſilio non pleraque ſolum majoris momenti apud nos geſta ſunt, ſed & ipſe nonnunquam accerſitus fuit ad res

nend, was wir wol wert ſeyen, dieweil das jung grien bolz ſolches leiden muſs, dan Gott ſchlecht alſo den Löwen das hindlin vor &c. Eſt penes me epiſtola prolixa & erudita Wolfgangi Rychardi, Medici quondam Ulmenſis, qua Blaureri judicium refellitur, ac exemplis phyſicisque rationibus oſtenditur, iſta omnia affectui melancholico deberi.

(*q*) *In dem guldenen und ſilbernen Ehren-Gedächtniſs* Lutheri. p. 159. ſqq.

(*r*) In Comment. de Actis Scriptisque publicis Eccleſiæ Wirtemberg. p. 21. ſqq.

eccleſiæ noſtræ ordinandas, quod præcipue A. MDXXVIII. factum. Tum enim conſtitutum erat, miſſam abrogare, quam adhuc ſacrifici in monaſteriis celebrare ſolebant. Convocatis igitur in curiam omnibus & urbis & agri Memmingenſis ſacerdotibus, jubente Senatu, ab Ambr. Blaurero demonſtratum, miſſarum ſacra optimi Salvatoris inſtitutioni ac verbo divino repugnare, iisque interdictum, ne amplius ea peragere auderent, niſi prius juſtis & ſolidis rationibus contrarium evicerint. Miſit equidem poſtea, ab illis excitatus Joannes Eccius *(s)*, acerrimus evangelicæ veritatis hoſtis, ad magiſtratum eam in rem literas, vehementes & bili in Blaurerum effuſa turgidas cum tractatu de Miſſa, ſed refutatus ab hoc cum in curia, tum e cathedra ſacra publice, adeo nihil effecit, ut potius miſſarum ſolemnia prorſus apud nos antiquata fuerint, nec ad annum uſque MDXLVIII. quo rebus prius A.MDXLVI. a Proteſtantibus infeliciter geſtis mulcta 80000.

(s) In ſubſcriptione litterarum vocavit ſe Joannem *Mayer von Eck*, unde verum viri famoſi nomen perſpici poteſt. Alterum vero Eccii aſſumſit ab Eck, pago nobis vicino, in quo natus eſt.

80000. florenorum Cæſaris gratiam redimere coacta civitas noſtra interimiſticam, quam vocant, formulam recepit, unquam celebrata. Cumque nondum quieſceret Eccius, rixoſi ingenii vir, magiſtratus tandem nomine & auctoritate publico ſcripto, cujus titulum §. 15. exhibui, abrogatæ miſſæ rationes Blaurerus expoſuit, eumque confutavit. Epiſcopus quoque Auguſtanus immiti epiſtola magiſtratum noſtrum propterea reprehendit, atque rem omnem ad Suevici fœderis optimates detulit, quo factum, ut A. MDXXIX. Joannes Kellerus Conſul & Legatus Memmingenſis e fœderatorum conſeſſu *(t)* excluſus, domumque non ſine acerba comminatione remiſſus fuerit. Quin & ab invidis fama diſperſa, prorſus a noſtris euchariſtiæ uſum ſublatum, ad ipſius Megalandri Lutheri aures penetravit, qui idcirco gravibus litteris, horum analectorum appendici a me inſertis, ſenatum compellavit. Nec metus & periculi expertem fuiſſe Memmingam meam, ex epiſtola Blaureri ad Zwinglium A. 1529. d. 11.

(t) Meminit ejus quoque Sekendorfius in Comment. de Lutheraniſmo Lib. II. p. 129.

Aug. Conſtantiæ exarata *(u)* liquet, ubi inter alia: *Contrahuntur undique neſcio quæ copiæ, nec quisquam ſatis conjicere poteſt, in quem uſum, aut quid conentur. — — Vehementer nunc timent ſibi Memmingenſes mei, ne oppugnentur: nam expugnari illos poſſe tam non credo, quam ſtat mihi certiſſima de Chriſti præſidio fiducia. Proinde Te per communem Servatorem noſtrum Chriſtum etiam atque etiam obteſtor, ut pro ſingulari prudentia & authoritate, qua vales apud Tuos, nihil non tentes, quo Memmingenſibus, Iſnenſibus, Campidonenſibus & aliis nonnullis ſecurioribus eſſe liceat. Olfacis, quid velim, & ſcio Te alioquin in eo eſſe, ne optimi quique crudeliſſima tyrannide iſtorum opprimantur, admonere tamen viſum eſt, quod Memmingenſibus meis unice conſultum cupiam.*

§. 17.

Hiſce vero doctoribus uſa Memminga non potuit non Zwinglii partes ſequi, quem etiam tanti habebat, ut miniſterio per eum proſpici ſuo A. MDXXIX. voluerit, docentibus id literis Wolfgangi Capitonis,

(u) Vid. Hottingeri Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVI. Part. II. p. 461. ſq.

pitonis, ab Hottingero (*x*) vulgatis. Mirum ergo non eſt, eam in celeberrimis Comitiis Auguſtanis A.MDXXX.cum ſententiam mutare nollet, a Principibus Evangelicis in confeſſionis ſocietatem admiſſam haud eſſe, atque eo adactam, ut cum civitate Argentoratenſi,Conſtantienſi, Lindavienſi, Latino & vernaculo ſermone per Hedionem peculiarem exhiberet confeſſionem, a Martino Bucero feſtinanter conſcriptam, & a quatuor iſtis civitatibus Tetrapolitanæ nomine communiter gaudentem. In ejus capite XVIII. de Euchariſtia hæc habentur: *De hoc venerando corporis & ſanguinis Chriſti ſacramento omnia, quæ de illo Evangeliſtæ, Paulus & ſancti Patres ſcripta reliquerunt, noſtri fide optima docent, commendant, inculcant. Indeque ſingulari ſtudio hanc Chriſti in ſuos bonitatem ſemper deprædicant, qua is non minus hodie, quam in noviſſima illa cœna, omnibus, qui inter illius diſcipulos ex animo nomen dederunt, cum hanc cœnam, ut ipſe inſtituit, repetunt, verum ſuum corpus verumque ſuum ſanguinem vere edendum & bibendum, in cibum potumque animarum, quo illæ in æternam vitam alantur,*

dare

(*x*) L. c. p. 513.

dare per Sacramenta dignatur, ut jam ipſe in illis, & illi in ipſo vivant & permaneant, in die noviſſimo in novam & immortalem vitam per ipſum reſuſcitandi. Licet autem hæc verba ita ſint concepta, ut cum Lutheri ſententia congruere videantur; ex hactenus tamen dictis conſtare arbitror, Memmingenſes iis juxta Zwinglii mentem uſos fuiſſe, ut ſpiritualis tantum per fidem, non realis corporis & ſanguinis Chriſti præſentia iis aſſereretur, quod & ex Confeſſionis Apologia aliquanto apertius apparet. Capite XXII. de ſtatuis & imaginibus equidem profitentur, earum uſum eſſe liberum, ita tamen, ut facile pateat, eos potius omnes e templis prorſus remotas & abolitas voluiſſe. Sunt & alia, quæ poſt Joannem Pappum *(y)* & Theologos Argentoratenſes ei coævos in ea deſideravit Abrahamus Calovius *(z)*: videlicet articulos de peccato originali, libero arbitrio, pœnitentia, peccati cauſa, utraque ſpecie cœnæ dominicæ plane eſſe omiſſos, alios obſcure propoſitos, articulum de juſtificatione papiſtis etiam palpum

(y) Vid. ejus refutat. libri Bipont. contra agend. Eccleſ. Argent. p. 458.

(z) In Exegemate Auguſtanæ Confeſſionis. Cap. I.

pum obtrudere, ἀνθιθεσιν denique non attingi, ſed nudam articulorum θεσιν proponi. Verum hæc ſummæ feſtinationi, qua Confeſſio conſcripta eſt, tribuenda eſſe cenſeo, de qua laudati Pappi verba *(a a)* hiſtoriam confeſſionis illuſtrantia, apponi merentur: *Mit den* original *Schreiben Herren Jacob Sturmen, und Herren Matthis Pfarrers, als der Geſandten auf dem Reichstag A. 1530. iſt darzuthun und zu beweiſen, daß ſie keine ſolche zuvor zu Straßburg angeſtellte* Confeſſion *mit ſich auf den Reichstag gebracht, oder auch ihnen nachgeſchickt worden, ſondern demnach weder die* Proteſtirende *Stände, und derſelben anweſende Räte und Geſandte, noch die* Theologi *ſich ihrer annehmen, noch zu gemeiner Confeſſion ſie zulaſſen wollen, daß ſie allererſt in gröſter Eil ihnen zween* Theologos *zuſchiken begehrt, und als dieſelbe endlich zu Augſpurg ankommen, in wenig tagen und groſſer Eile der Stätte* Confeſſion *anſtellen laſſen, alſo daß ſie auch in einem Schreiben Dato den 21. Junii bekennen, daß ſie ſo viel zeit*

(a a) In lib. cit. ſive *wahrhaffter und wolgegründeter Widerlegung des unwahrhafften und falſchen berichts, ſo wider die Straſsburgiſche Anno 1598. ausgegangene Kirchen-Ordnung zu Zweybrüken Anno 1603. getrukt worden &c.* p. 234.

zeit und weil nit haben, daß ſie ſolche Confeſſion *zuvor allher* (Argentoratum ſcil.) *hätten ſchiken, und beſichtigen oder berathſchlagen laſſen können.*

§. 19.

Scopo autem noſtro maxime congruum eſſe videtur, ipſum Auguſtiſſimum Imperatorem Carolum V. confeſſionis oblatæ hiſtoriam in conſtitutione, finitis comitiis publicata *(bb)*, ita ediſſerentem audire: *Folgends haben uns die Geſandten unſer und deß H. Reichs Städt, Straßburg, Coſtanz, Memmingen und Lindau ihre Bekanntnuß ihres ſondern Glaubens in Schrifften übergeben, welche wir für uns ſelbſt, auch durch viel gelehrte tapffere* Doctores *der H. Schrifft vieler* Nation *mit höchſtem fleiß vorleſen und erwegen laſſen, und nachdem wir aus derſelben ihrer eigen übergebenen Bekänntnuß vernommen, auch ſonſt glaublich bericht, und für ſich ſelbſt offentlich, daß die gedachten vier unſer und des Reichs Städt, nicht allein im Glauben von aller andern Frey- und Reichs-Städten, ſonder der ganzen Teutſchen* Nation, *auch der gemei-*

(bb) Vid. *deſs H. Römiſchen Reichs Abſchiede* fol. 247. edit. Francof. A. 1707.

gemeinen Christenheit abgesondert, und die schwere Irrsal wider das hochwürdige Sacrament, dergleichen der Bildstürmung und anderer Sachen unterzogen, und biß anhero viel widerwärtiger Sect gestattet, dieselben auch unter den gemeinen Mann Teutscher Nation *ausgebreitet, und in dem Büchlein, so hin und wider umgetragen, begriffen seynd, welches weder ihnen noch sonst niemands zusteht oder gebührt: So haben wir Gott dem Allmächtigen zu Lob, zu Förderung der Seelen Heyl, zu Erhaltung Christlicher Lieb, und insonderheit zu Ruh, Wohlfahrt und Einigkeit Teutscher* Nation *durch die Gelehrten der H. Schrifft von vielen* Nationen, *auch mit tapfferm Rath unser und des H. Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, so allhier versammlet, darauf ein Gegen-Bericht, in dem Evangelio und H. Schrifft gegründet, thun verfassen, den wir ihnen von Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen öffentlich haben fürlesen, sie darauf gnädiglich erinnern, ermahnen und begehren lassen, dieweil sie ab solchen unser* Confutation *ihren Irrsal klärlich vermerkten und verstünden, daß sie von denselben grausamlichen Irrthümern abstünden, und sich mit uns, auch Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen des Reichs und gemeiner Christenheit verglichen, das wollten wir*

uns

uns zu ihnen verſehen. Auf ſolch unſer gnädigiſt Erinnern und Begehren haben der gemeldten vier Städt Geſandten unterthäniglich gebeten, ihnen eine Copey von ſolcher Confutation *zu geben, mit dem Anzeigen, daß ſie von ihren Raths-Freunden allein Befehl hätten, was ihnen fürgehalten wird, davon Abſchrifft zu begehren, und ſolche hinder ſich zu ſchiken. Welches ihr Begehren wir ihnen aus beweglichen Urſachen abgeſchlagen, und uns dabey erbotten haben, daß wir ihnen dieſelbe* Confutation *zwey oder dreymal widerum wollten fürleſen laſſen, damit ſie ſich deſto baſs darnach zu richten wiſſen, und deßhalben widerum an ſie geſonnen, daß ſie ſolchem unſerm Begehren nachmals ſtatt thun wollten. Dann wo ſolche Chriſtliche Ermahnung und Erinnerung bey ihnen nicht ſtatt haben wollte (deß wir uns doch nicht verſehen) ſo könnten dieſelben vier Städt gedenken, daß wir verurſacht werden, uns in den Sachen zu erzeigen und zu verhalten, wie uns als Römiſchem Chriſtlichem Kayſer, Oberſtem Vogt und Schirm-Herren der H. Chriſtlichen Kirchen von Amts wegen, unſerm Gewiſſen nach, gebührt, wie vormahls in der* Confutation *gemeldt iſt. Aber auf ſolch und dergleichen unſer gnädigſt Erinnern und*

Begeb-

Begehren ſeynd die Geſandten der berührten vier Städt auf ihrer Meynung beſtanden.

§. 19.

E re noſtra eſſe arbitror, adjicere heic quasdam notatiunculas, depromtas ex relatione Joannis Ehingeri de Guttenaw*(cc)*, Memmingenſis conſulis & ad comitia Auguſtana legati, manuſcripta, quam magnificus & Generoſiſſimus Dominus Jo. Georgius de Lupin, Reip. patriæ Conſul longe meritiſſimus, Mæcenas meus demiſſe venerandus, mecum gratioſe communicavit. Didici nimirum exinde, 1.) Imperatorem iſtis quatuor civitatibus maxime ſuccenſuiſſe, & graviſſimas illis minas intendiſſe, Memmingæ præſertim, utpote Auguſtæ atque ita etiam Cæſari omnium proximæ, terribiles. 2.) Confutationis auctores fuiſſe Joann. Fabrum, Eccium, *(dd)* & Cochlæum. 3.) Ehin-

(cc) Cujus familiæ nobiliſſimæ genealogiam recenſuit Gabriel Bucelinus in Conſtantia Stemmatographica p. 40. ſq. e qua videre eſt, Ehingeri ſororem Thomæ Blaurero, Conſuli Conſtantienſi, Ambroſii fratri, nupſiſſe.

(dd) Non absque remuneratione eos operam ſuam Cæſari & Pontifici commodaſſe, docet Jo. Sleidanus

gerum, finitis jam comitiis, cum non amplius adeſſent reliquarum civitatum legati, clam & inſcio Imperatore, precibus

---

danus Commentar. Lib. VII. p. m. 199. ſcribens: *Faber & Eccius honorarium munus a principibus petunt & impetrant ob ſcriptas confutationes: operam quoque ſuam deinceps pontificiæ religionis defenſioni pollicentur. Nam hi, ſicut alii plerique, cogitabant creſcere de Luthero, & Faber quidem poſtea Viennenſem epiſcopatum eſt adeptus a Rege Ferdinando. Hinc illud Eraſmi Roterodami facetum, quo dicere ſolebat: Pauperem ac tenuem Lutherum locupletare multos.* Deluſum vero aliquando in iis comitiis Eccium a Cardinale Campegio, qui pingue ſacerdotium, tum vacans, illi promiſerat, aliique dein, quadringentis florenis corruptus, contulerat, refert Jo. Manlius in locorum communium collectaneis, e lectionibus præcipue Melanchtonis congeſtis p. 372. ſq. Eſt mihi Codex MStus, e reliquiis Bibliothecæ Spizelianæ cum aliis Auguſtæ a me redemtus, cui hunc beatus Theophilus Spizelius manu ſua præfixit titulum: *Narrationes jucundæ & utiles ex Prælectionibus (ni conjectura fallit) Phil. Melanchthonis exceptæ ac collectæ a diligente ac perinduſtrio quodam Auditore.* Ibi eadem hiſtoriola narratur, additurque, Gumpenbergium fuiſſe illum, qui Eccio iſtud ſacerdotium præripuit, quem is, e cujus ore hæ narrationes exceptæ ſunt, ſe noviſſe, cum eſſet ſtudioſus in Academia Tubingenſi, ait, adjiciens, ab eo tempore ſemper fuiſſe Romæ, in omni genere ſcelerum exercitatum, ita ut jam eſſet perfectus Curtiſanus. Ex eodem libello didici, Eccium, qui cum ſuis Luthero caſtum matrimonium tantopere exprobravit, a laſciviori mulierum conſortio haud abhorruiſſe. Sermone enim prius de Ludovici Hetzeri Anabaptiſtæ,

cujus

bus fortaſſis pretioque, confutationis apographum impetraſſe, antea conſtanter denegatum, idque Argentoratum miſiſſe. Quod a nemine adhuc obſervatum præcipue notari meretur, cum hinc in probatulo ponatur, qui fieri potuerit, ut ſcripto illi, non minus prolixo quam acerbo, juſta & curata apologia, iſtud καλα ποδα perſequens, opponeretur, in cujus præfatione lector ita compellatur: *Dieſes wölleſt Chriſtlicher Leſer alſo annemmen, das du nit zweiffleſt, wo der* confutatoren *Wort angezogen werden, daß dieſelbigen in der Warheyt alſo für Keiſerlicher Majeſtät geleſen ſind.*

§. 20.

Confeſſionem vero Tetrapolitanam, Ulrico Zwinglio non improbante, fuiſſe oblatam, vel inde palam eſt, quod is menſe Octobri, cum legati civitatum iterum Auguſtam ad confutationem coram

cujus verſio Prophetarum Germanica aliaque extant, ſtupris habito, hæc inibi memorantur: *Ego aliquando Erphordiæ cum Eccio ſedebam inter honeſtas matronas, quarum una erat egregia & luculenta forma, cum ea Eccius colludere incipiebat, quaſi in alio loco cum ea verſatus.*

Cæſare & ordinum conſeſſu audiendum vocati eſſent, ad conſtantiam in iis, quæ antehac profeſſi fuerant, Memmingenſes literis exhortatus ſit, quas in appendice integras ex autographo exhibere viſum eſt, ipſa ejus dialecto & orthographia in majorem rei fidem ſervata, quam rationem in aliis etiam tenere ſtatui. Cæterum plures aliæ urbes, præſertim Sueviçæ, interque eas primariæ, Auguſta Vindelicorum & Ulma, licet ipſæ Confeſſioni Tetrapolitanæ haud ſubſcripſerint, idem tamen cum quatuor illis civitatibus inſtitutum ſecutæ ſunt in ritibus ordinandis, exturbandis e templis imaginibus & dejiciendis ſtatuis atque altaribus Zwinglii etiam ac Helvetiorum ſententiam de ſacra Cœna ſi non prorſus ſuo probantes calculo, proxime tamen ad eam accedentes, Eccleſiæ enim Auguſtanæ miniſtri tum erant Michael Cellarius vel Keller Memminga, quo antea ſeceſſerat, vocatus, Wolfgangus Muſculus, Bonifacius Wolfhardus, Sebaſtianus Mayerus, & Theobaldus Nigri, omnes Confeſſionis Tetrapolitanæ & Helvetiorum fautores, imo ipſe etiam Martinus Bucerus aliquandiu ibi docuit. Hinc & Catechiſmus A. MDXXXIII. a paſtoribus

bus Auguſtanis editus, & A. MDLVI. ab Heidelbergenſibus recuſus, Auguſtanisque dicatus Zwinglii doctrinam ſapit, cujus notitiam Clariſſimo Bruckero debeo. Ulmenſes vero in conſtituenda ſua Eccleſia cum aliorum, tum præſertim Buceri & Oecolampadii opera A. MDXXXI. uſi ſunt (*ee*), qui menſe Junio ejusdem anni Memmingam quoque inviſere, inter cætera εἰκονομαχίαν ibi promoventes. Hinc autem Biberacum profecti, ad Senatum noſtrum d. 6. Julii literas dedere, e quibus excerpere quædam juvat. *GOtt ſey lob, daß wir in allen evangeliſchen Flecken ongefermt bruderlich lieb und treuw ſpüren und erfaren, auch hie erfinden wir meer dan wir gehofft hetten; alſo mit ſolchem ernſt und onverzagten gemuet ſchikt man ſich in einen rechtſchaffnen Gotsdienſt, mit abſchaffung der Bepſtiſchen Meſs, Bilder, und Altar: Wie dan E. W. von Junker Hans Ebinger wol vernemen mag. Allain*

(*ee*) Commercii Ulmenſium cum Argentoratenſibus & Helvetiis documenta dedit J. H. Hottingerus in Hiſt. Eccl. Sec. XVI. p. II. p. 570. ſqq. conf. Maxime Vener. Domini Jo. Caſp. Funckens *kurz-gefaſſte* Reformations-*Hiſtorie*. p. 702. ſqq. ejusque Appendicem p. 116. ſqq.

lain ein onruwe begegnet den guten frummen leuten darunder, nemlich, ſo ſie erlaubt han menglich, ſein Bild und Grabſtein zu ſich zu nemmen, erfunden werden etlich, die ſich deß nit begnügen, und trachten weiter noch ornat, kleinot, und ſtifftung auch herauß zu bringen. Des wie E. erſ. IV. nit han wollen verhalten, ob vielleicht Got gnad geb, das alle ding bey euch bekumlicher ausgerichtet wurden.

§. 21.

Nunc reliqua etiam pertexenda ſunt. Anno MDXXX. exeunte Proteſtantes Smalkaldiæ fœderis formulam concepiſſe refert Sleidanus *(ff)*, non quidem offendendi quenquam, ſed ſui defendendi cauſa, eique continuo ſubſcripſiſſe quosdam Principes, Comites & Urbes, Argentoratum vero, Ulmam, Conſtantiam, Lindaviam, Memmingam aliasque civitates ſic recepiſſe, ut ad ſuos referrent, & intra ſextam hebdomadam diſerte nunciarent, quid velint. Sed notare mihi liceat, Conſtantiam, Reutlingam, Memmingam, Lindaviam, Biberacum & Iſnam

(ff) Commentar. Lib. VII. p. m. 204.

nam ſuos tum Smalcaldiæ non habuiſſe legatos, verum ab Ulmenſibus ea de re certiores factos, qui forte in ſe iſtud receperunt. Cognovi id ex litteris harum civitatum, ad Joannem Electorem Saxoniæ A. MDXXXI. die Veneris poſt Purificationis Mariæ datis, quarum exemplum in tabulario noſtro publico adſervatur. Ex iis pauca delibare operæ videtur eſſe pretium. *Dieweil unſer aller will, Meynung und gemüt vermittelſt Göttlicher hilff und gnade endlich dahin geſtellt, bey deſſelben hellen, raynen, und unzerſtörlichen wort zu beleiben, auch dabey (wa der Allmechtig mithilfft) ungeacht aller Wagſpil, und deß das uns darüber begegnen oder zuſteen mag, bis in unſer End zu verharren, und wir dann das bedenken gerürter Chriſtlichen verſtentnus jüngſt zu Schmalkalden, wie gehört, gleichwol durch ſonder mitwürkung Gottes des Hailigen Geiſts begriffen, unſer teils, beſonder dieweil ſich ermelt Chriſtenlich verſtentnus allein zur gegenwör, auch merung Göttlichs worts und Chriſtenlicher lieb erſtrekt, nit zu verbeſſern, oder darinn Enderung zuthun wiſſen, derhalben im Namen des allmächtigen ſo ſchreiben E. Churfürſtlichen Gnaden wir alle hieunden bemel-*

te Stett (gg) mergedachten Chriſtenlichen verſtand, wie der zu Smalkalden verabſchidt, hiemit zu, dergeſtalt und alſo, das wir denſelben unſers teils bewilligt und angenommen. Obſervandum vero, in conventu Smalkaldico A. MDXXXI. Argentoratenſes ac reliquos, qui in comitiis Auguſtanis a Principum confeſſione ſeceſſionem fecerant, tum demum in fœdus fuiſſe receptos, poſteaquam dogma ſuum de Cœna Domini copioſius declaraſſent, ac Saxonicis interpretatione ſua ſatisfeciſſent *(hh)*. Non ergo dubium eſt, eos Zwinglii jam partes in capite de ſacra cœna deſeruiſſe, atque articulum illum Confeſſionis Tetrapolitanæ ambigue conceptum ad Saxonicorum mentem interpretatos eſſe. A fœderis enim ſocietate alias excluſi fuiſſent. Lutherus certe in conſilio de ratione, qua cum civitatibus paciſcendum ſit, Saxoniæ Electori dato *(ii)*, Argentoratenſes & cæteros in fœdus haud admittendos cenſuit, ni prius confeſſi fuerint, ſubſtantialem & realem præſentiam euchariſticam, corpusque & ſangui-

(*gg*) Literis his etiam ſubſcripſit Ulma.
(*hh*) Vid. Sleidan. L. VIII. p. 226.
(*ii*) Vid. Opp. Lutheri Tom. II. Isleb. p. 134. ſq.

guinem Chriſti non a fidelibus tantum, ſed & ab indignis accipi. Præterea in Conventu Francofurtenſi, eodem anno habito, de Helvetiis in fœdus recipiendis, quod civitates valde cupiebant, Saxo per legatos reſpondit: *quoniam de cœna Domini diverſum ſequantur dogma, non ſibi licere ſocietatem cum ipſis ullam coire (kk).* Idem porro Naſſovio & Nueanario comitibus, ab Imperatore ex fœdere cum civitatibus inito de eo ſuſpicante, quaſi & ipſe Sacramentariis acceſſiſſet, ad illum miſſis affirmavit, *ſi quis ſociorum ſuorum, cujuscunque tandem ſit ordinis aut loci, ab Aug. Confeſſione recedat, & errorem ſacramentarium fovere incipiat, hujus ſe ſocietatem prorſus vitaturum eſſe (ll).* Cæterum Argentoratenſes cum reliquis in Conventu Swinfurtenſi A. MDXXXII. Principum Confeſſioni & Apologiæ ſubſcripſiſſe, & omnibus ſuis miniſtris ſerio injunxiſſe, ne quis aliter doceret, quam in ea Confeſſione & Apologia expreſſum eſt, edocent literæ Wolfgangi Capitonis & Martini Buceri, ad Lutherum A. 1537.

(kk) Vid. Sleid. Lib. VIII. p. 215.
(ll) Vid. Kirchneri Hiſt. Aug. Conf. p. 197.

19. Jan. Argent. exaratæ *(mm)*, quam ſubſcriptionem Helvetios, & per ſuperiorem Germaniam quam plurimos indigniſſime tuliſſe teſtis eſt Hottingerus *(nn)*, quippe qui exiſtimarint, plus metum hoſtilis Pontificiorum potentiæ, quam veritatis ſtudium in hac Suevorum & Argentinenſium cum Saxonicis conjunctione valuiſſe. Silentio, quoque non prætermittendum eſt, quod, (cum Ferdinandus Romanorum Rex A. MDXXXIV. inter alias conditiones transactionis Cadamicæ Saxoni etiam promiſerit, ſe effecturum loco Cæſaris, ut Cameræ judicium ab omni ſuperſedeat actione contra Proteſtantes, in quibus tamen nec Anabaptiſtæ, nec Sacramentarii, nec id genus aliæ ſectæ *(oo)* ſint comprehenſi) Philippus Landgravius Haſſiæ d. 13. Julii pacis conditiones cum Argentoratenſibus & reliquis civitatibus, fœdere iis junctis, communicans, in epiſtola, cujus apographum apud nos ſervatur, his inter cætera uſus ſit verbis: *Wiewol darinnen ein Wörtlein* Sacramentierer *befunden, welches*

(mm) Quas integras vulgavit Jo. Pappus l. c. p. 45. ſqq.

(nn) In Hiſt. Eccl. Sec. XVI. P. V. p. 168.

(oo) Vid. Sleidan. L. IX. p. 243.

ches vielleicht etlichen für beſchwerlich angeſehen möcht werden, ſo wiſſen wir doch wol, daß ihr euch dazu nit, ſondern für Chriſten bekennen, und von dem Sacrament *und Nachtmal unſers lieben Herrn Jeſu Chriſti viel und ehrlich haltend, ob es aber bey jemands in einen Mißverſtand ſollte zogen werden, und euch deßhalben anfechtung begegnen, ſo wiſſend ihr vormals unſer gemüth, und wie wir einander geneigt, günſtig und verwandt ſeyn, das wöllen wir, ob Gott wöll, ſteth und unverrukt halten, und uns gegen euch keines wegs bewegen laſſen, noch auch in allen gerechten Sachen von euch nit ſezen.*

§. 22.

Anno autem MDXXXVI. concordiæ inter Saxonicarum & ſuperioris Germaniæ Eccleſiarum miniſtros *(pp)* Wittenbergæ initæ, Argentinenſium nomine ſubſcripſerunt Wolfgangus Capito & Martinus Bucerus, Memmingenſium M. Gervaſius Scholaſticus vel Schuler *(qq)*, confeſſi

(pp) Hujus concordiæ acta diligenter enarrat Jac. Schopperus in Chorographia Germaniæ f. 635. ſqq.

(qq) Edidit is vernaculo ſermone opus de Reſurrectione mortuorum, A. 1537. in 8. Norimb. cum præfat. D. Ulr. Wolfhardi excuſum, quod eum virum non ineruditum fuiſſe comprobat.

confeſſi tum, cum pane & vino vere & ſubſtantialiter adeſſe, exhiberi & ſumi, etiam ab indignis, corpus Chriſti & ſanguinem, ſeque juxta Confeſſionem & Apologiam Principum, Evangelium profitentium, in omnibus articulis ſentire & docere velle. Non tamen prorſus eo tempore rejeciſſe illos Confeſſionem Tetrapolitanam, e variis documentis compertum habeo & exploratum, quæ heic producere nihil vetat. Bucerus in literis ad Memmingenſes Auguſta d. 26. Apr. ejus anni ſcriptis ita fatur: *Was ich bis hieher mit hülff meiner gnädigen Herren zu Strasburg und Brüder daſelbſt zu dieſer* Concordi *gehandelt hab, iſt alles geſchehen auf den Grund unſer* Confeſſion *und* Apologi, *deren auch E. F. W. unterſchrieben haben, darinn dann auch die fernig Verſammlung der Brüder zu Coſtanz, bey dem E. E. W. den F. meinen günſtigen lieben Herrn Eberhard Zangmeiſter, euer Statt Burgermeiſter, mit meinem l. Bruder* M. Gervaſio *gehabt haben, bewilliget, und mir des alles Befehl gegeben.* Lindavienſes ultimo Apr. ita ad noſtros præter alia: *So iſt bey uns kein Zweyfel, es werden die gedachten unſere liebe Freund zu Coſtenz nit underlaſſen, die Iren auch auf den Tag gen Yſennach zu ſchiken, dieſel-*

dieſelbigen auch unſer und unſer Predicanten *Meynung gnugſamlich dieſer ſach halben verſtanden, und daſſelb im fall, ſo es des ye bedürffen ſollt, wol anzuzeigen haben: nemlich dieſe Meynung, das wir bey unſer Chriſtenlichen Leer und Glaubens-Bekentnus der Rö. Kay. Maj. unſerm allergnedigſten Herrn, in namen unſer beſonder lieben und guten Freunden, deren von Strasburg, Coſtanz, E. E. W. und unſer auf jüngſt zu Augſpurg gehaltnen Reichstag übergeben und volgends darauf auch offentlich in Truk ausgegangnen* Apologi *belieben, uns darvon noch zu ainicher Gleicheit der* Ceremonien *nit begeben, ſondern dem heilwertigen wort Gottes und Chriſtenlicher Freyheit Iren freyen uneingefangen Lauff bey uns laſſen wollen.* Argentinenſes vero d. 28. Aug. itidem ad Memmingenſes ſcripſere, ſe ſtatuiſſe, *die angeſtelte* Art. *als unſer usgangen* Confeſſion *und* Apologi *gleich und gemeß anzunehmen, und mit unſern Predigern zuzuſchreiben.* Quibus Memmingenſes d. 7. Sept. reſponderunt: *Als unſer* Predicant M. Gervaſius *Schuler von Witteberg anheimiſch kommen, und erſtlich uns als dem Rath die geſtellte Articul der* Concordi *fürgehalten, und wir darauf die Erklärung derſelben, auch das die unſer* Confeſſion *Kayſerlicher Maj. unſerm*

unſerm allergnädigſten Herrn zu Augſpurg iibergeben, in einigen weg entgegen oder wieder ſey, nit verſtehen mögen, ſo haben wir uns ſolche Concordi *auch wolgefallen laſſen, der zuverſicht, die werde zu mehrung Gottes Lob, Chriſtlicher Lieb, und vieler beſchwerten gewiſſen, die ſich bißher ab dieſer zweyung großlich geſtoſſen, zu guter Erledigung reichen.* Unde perſpicuum eſſe arbitror, noſtros, etſi Confeſſioni Auguſtanæ ejusque apologiæ ſubſcripſerint, nonnihil tamen auctoritatis tum tribuiſſe Confeſſioni Tetrapolitanæ, ſed in capite de ſacra ſynaxi ad mentem illius, quam Principes Cæſari obtulerunt, explicatæ. In ritibus vero ſua libertate uſi ſunt. Hinc hodienum apud nos minus ceremoniarum eſt, quam in Eccleſiis Saxonicis; in baptizandis infantibus exorciſmo locus haud eſt, atque eandem cum Reformatis dividendi decalogum rationem ſequimur, ut ad primam tabulam quatuor præcepta, ad ſecundam ſex referamus, ſeparantes, quæ a reliquis Lutheranis primum præceptum conſtituere dicuntur, nonumque ac decimum conjungentes *(rr)*. Peccatorum autem

(*rr*) Eadem decalogi diviſio adhuc apud Argentinenſes

tem confeſſio, quæ coram verbi divini miniſtris ante euchariſtiæ uſum a ſingulis fieri aſſolet, Memmingæ demum A. MDCV. introducta eſt, teſte Chriſtophoro Shorero *(ss)*. Procedente vero tempore ſenſim adeo apud nos neglecta fuit Tetrapolitanæ Confeſſio, ut nunc ejus memoria vix ſuperſit, atque unicum duntaxat vel alterum primæ editionis, & Germanicæ quidem tantum, exemplar.

§. 23.

De reliquo Memmingenſes quoque cum aliis A. MDLXXVII. Formulæ Concordiæ ſubſcripſerunt, ſuum ſic conſenſum cum puriori Eccleſia teſtantes. Antea vero A. MDLXXIII. M. Euſebium Cleberum, in templo Martiniano verbi præconem, Zwingliana publice profitentem dogmata, quæ a Crypto-Calviniſtis, quos vocant, Wittebergenſibus edoctus fuerat, ac ad Tetrapolitanam etiam Confeſſionem provocantem, ab officio remotum dimiſerunt, colloquio prius cum ipſo a D. Jacobo Andreæ, Theologo Wirtembergi-

nenſes obtinet, cujus adiaphoriam tuetur B. J. G. Danhaverus in Collegio Decalog. p. 16. Lindavienſes vero communem conſuetudinem ſequuntur.

(ss) In Chronico Memmingenſi. p. 118. ſq.

bergico, magiſtratus auſpiciis, ſed fruſtra, habito, cujus acta in tabulario publico extant. Abiit is deinde ad Heidelbergenſes ac Sangallenſes, & publico quoque ſcripto ſuas opiniones defendere conatus eſt *(tt)*.

§. 24.

Argentoratenſes autem ab Anno 1531. in omnibus comitiis, colloquiis & conventibus, religionis cauſa inſtitutis, invariatam Confeſſionem Auguſtanam per Theologos ſuos defendiſſe, ad officia ſcholaſtica & verbi miniſterium nonniſi eidem ſuffragantes admiſiſſe, atque omnes controverſias de fidei capitibus inter ſe exortas, ex illa dijudicaſſe, per ſingulos annos procedendo, contra Michaelem Philippum Beutherum prolixe & curate oſtendit D. Joannes Pappus, Theologus olim Argentoratenſis, plurimis

(tt) h. t. *Eine warhaffte Underweiſung von der Perſon Chriſti, und der beider Naturen Underſcheid, auch rechtem Verſtand deſs H. Abendmals, ſamt einer kurzen, aber doch gründlichen Widerlegung der zweien Predigen, ſo im Jar 73. von* D. Jacob And. *offentlich wider mich ausgangen &c. geſtelt durch* Euſebium Clebern, *den geurlaubten und vertribnen Prediger von ſeiner lieben Kirch, und aus ſeinem eignen Vatterland, durch Anſtiffung und geſchwindigkeit* D. Jacobs *und ſeines Anhangs.* A. MDLXXV. in 4.

mis in Chriſti Eccleſiam meritis conſpicuus, in libro ſuperius citato, quo lectores meos, ne in nimiam hæc analecta molem excreſcant, remitto, unico tantum verbo monens, ſymboli loco eos Principum Confeſſionem & Apologiam in Eccleſia ſua quidem habuiſſe, at ſimul nonnihil, primis præſertim annis, etiam tribuiſſe Tetrapolitanæ Confeſſioni, ſed ad illius mentem expoſitæ, quod ex ſuperius §. 22. dictis quodammodo patet, ipſeque etiam Pappus l. c. p. 24. ſq. non inficiatur.

§. 25.

Reſtat nunc, ut promiſſi memor ea, quæ ad hiſtoriam litterariam Confeſſionis Tetrapolitanæ pertinent, ediſſeram, ubi primo quædam de ejus auctore, deinde de variis editionibus dicenda veniunt. Martinum Bucerum conſcripſiſſe eam, qui neget, novi neminem, ſi excipias neſcio quem, in Theatro Anonymorum Placciano *(uu)* memoratum, qui Joanni Sturmio, Scholæ Argentinenſis Rectori, & Henricum Kippingium, citatum &

(uu) Num. 1704. f. 422.

a Celeb. Wernsdorfio, qui Zwinglio eam tribuit. Pro Bucero autem pronunciant ipſi Reipublicæ Argentoratenſis Proceres in Agendis Eccleſiaſticis *(xx)*, qui procul dubio e Commentariis Jacobi Sturmii, ad Comitia Auguſtana olim legati, aliisque monumentis authenticis illam notitiam hauſerunt, Jo. Pappus in Apologia pro iis ſcripta paſſim, Wernsdorfius *(yy)*, Alb. Meno Verpoortennius *(zz)*, aliique plures, quibus & ego non poſſum non meum adjicere calculum. Fuiſſe vero Bucerum magnæ eruditionis & prudentiæ virum, uti extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe exiſtimo, ita & de ejus ſinceritate, candore & fide multos ambigere probe novi. Laudatur ab his, culpatur ab illis. *Qui de eo bene apud nos exiſtimant* (verba ſunt *(a)* D. Godofredi Ludovici) *Lutheranum fuiſſe perhibent, & teſtem veritatis juxta cum Luthero & aliis id temporis, quo purgari a ſuperſtitione cœpit*

(xx) P. 24. 27.

(yy) In Hiſtoria Confeſſionis Tetrapol. p. 17. ſqq.

(zz) In Comment. Hiſtor. de Martino Bucero. p. 23. ſqq.

(a) In memoria Mich. Chriſt. Ludovici B. Henr. Pippingi ſacro Decadum Septenario inſerta. p. 801.

pit Eccleſia, probis viris: qui ſecus, Zwinglianum, ſive, quæ famoſior hodie notio eſt, Calvinianorum aſſeclam appellant: tanto utrinque cum fervore, ut, qui nonniſi hiſtoriam cupiunt pernoſcere, tribuique volunt poſt funera, quod cum transacta vita congruat, malint, integram illam de doctrina Buceri altercationem ſeponi: cæteroquin in hanc unam ſententiam uno velut ore deſinere, quod homo longe doctiſſimus ſua omnino laude eademque eximia etiam poſt mortem dignus, & integerrimus literarum ſtator ſuperiori ævo cum in vitam lucemque ſtudia revocanda eſſent, fuerit. Adeo certe Bucerus δια δοξης και ἀτιμιας, δια δυσφημιας και ἐυφημιας cognitus eſt, ut paucos in hoc ipſi æquiparandos eſſe cenſeam. Ex Pontificiis quidam eum tandem Judæorum in caſtra tranſiiſſe, ac filium ex neſcio qua fœmina progenitum circumcidiſſe fabulantur *(b)*, quas nugas plusquam Tellenias reſponſoque indignas recitaſſe refutaſſe eſt. E noſtris nonnulli inconſtantiam, κυβειαν & aleatoriam verſutiam ipſi exprobrant: alii contra laudibus eum ad ſidera uſque evehunt. Ex Anglis, inter

(b) Teſte Petro Bælio in Diction. Hiſt. Crit. Art. Bucer. not. (F) fol. 684. Part. I.

quos animam efflavit, Gualtherus Haddonus (c) Auguſtini in illo acumen, Hieronymi linguarum varietatem & doctrinam, diſciplinam Cypriani, Ambroſii auctoritatem, Origenis ſcientiam, Chryſoſtomi in docendo perſpicuitatem, Bernardi integritatem in vita fuiſſe, paucis plurima complexus prædicat.

§. 26.

Etſi vero meum non eſt, tantas componere lites, licebit tamen per æquos rerum arbitros, ingenue hic & breviter, quæ mihi ſedeat ſententia, exponere. Scilicet rationibus utrorumque diligenter penſitatis in eorum fateor me propendere partes, qui mitius de tanto viro judicium ferunt, cenſentes, primo quidem a Zwinglio & Helvetiis eum ſtetiſſe, ſed poſtea veritatis vi ſuperatum, præſertim a tempore firmatæ cum Luthero & Saxonicis concordiæ, conſtanter Principum Confeſſioni Auguſtanæ ejusque apologiæ adhæſiſſe. Equidem celebratiſſimus, dum viveret, Theologus D. Jo. Henr.

(c) In laudatione ejus funebri, quæ extat in Vitis Select. Guil. Bateſis. p. 276.

Henr. Feuſtkingius *(d)* cum aliis ejus palinodiam fictam tantum & ſimulatam fuiſſe, illumque intra Wittebergam retractaſſe, ſed extra Wittebergam Zwinglianam cauſam non deſeruiſſe autumat: verum ut ei in hoc adſtipuler, nondum a me impetrare potui. Obſtat Eccleſiæ Argentinenſis, cui optime cognitus fuit Bucerus, ejusque Theologorum probatiſſimorum de illius orthodoxia judicium: repugnat nubes teſtium, fide digniſſimorum, pro eo militantium *(e)*: aliud imperant ipſa Viri ſummi ſcripta & acta: prohibent denique Helvetiorum ei συγχρονων teſtimonia.

§. 27.

Rata ſe habere omnia, quæ A. MDXXXVI. in formula concordiæ Wittebergæ cum Luthero initæ ſua ſubſcriptione firmavit, iterato profeſſus eſt in conventu Anno inſequenti Smalkaldiæ habito, tuncque cum aliis denuo Evangelicorum Principum, ordinum ac civi-

(d) In Palinodia ſacra, ſeu Schediaſmate de Retractationibus Theologorum in rebus fidei p. 24.

(e) Quos magno numero in aciem produxit Clar. Mart. Dieffenbachius in Appendice Judæi convertendi, nec non in Diſſert. epiſtolica ad B. Rechenbergium ſcripta, & A. 1697. edita.

tatum mandato relectam Confeſſionem Auguſtanam approbavit: præterea ibi tractatui de poteſtate & primatu Papæ ſubſcripſit, articulis vero Smalcaldicis non item, qui a noſtris Concilio, ſi quod vel Mantuæ vel alibi congregandum fuiſſet, exhibendi fuerant. Quod quare factum ſit, fideliter jam ex legatorum Memmingenſium, ibi quoque præſentium, relatione manuſcripta exponam. Nimirum cum ſexti articuli initium hoc ſit: *De Sacramento Altaris ſtatuimus, Panem & Vinum in Cœna eſſe verum corpus & ſanguinem Chriſti;* Bucerus ſubſcriptionem recuſavit, non quod alienam a Luthero in eo capite ſententiam foveret, (aſſentiri enim iſtis verbis ex animo ſe ajebat, eo ſenſu acceptis, quem Lutherus alias iis tribuat, ſtatuens, panem & vinum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti propter ſacramentalem unionem, *ſacramentlicher einung halber*, atque ita iis ſuo nomine libentiſſime ſubſcripturum eſſe) ſed quod ea loquendi ratio nondum in ſua & aliis quibusdam ſuperioris Germaniæ Eccleſiis recepta multis forte offenſioni eſſe poſſet, Helvetiis præcipue, quos Wittenbergenſem concordiam adhuc probaturos ſpei nonnihil affulſerit. Conſiliis igi-

tur

tur de ſubſcriptione collatis decretum fuit, cujuslibet arbitrio relinquendum eſſe, an ſubſcribere velit, cûm articulos illos ſuo tantum nomine Lutherus compoſuerit: hincque iis non omnes ſubſcripſerunt, tractatui vero de poteſtate & primatu Papæ, Confeſſioni item Auguſtanæ ejusque Apologiæ omnes & ſinguli. Quo facto D. Jo. Bugenhagius Pomeranus cunctis, fratrum in Domino nomine compellatis, manum porrexit, eos adhortans, ut agnitam ſancti Evangelii doctrinam conſtanter retinerent, atque unanimiter in omnibus Eccleſiis docerent, Dei opem pro ſe invicem devote exorantes.

§. 28.

Fefelliſſe vero Virum optimum, pacisque eccleſiaſticæ cupidiſſimum, ſpem de Helvetiis conceptam, eventus docuit: non tamen a Luthero in Helvetiorum caſtra tranſiiſſe eum, pluribus argumentis demonſtratum dari poſſet; at cum mihi jam non liceat eſſe prolixiori, uno tantum vel altero uti conſtitutum eſt. Pappus in libro ſæpius laudato *(f)* exhibet Buceri literas, Argent. d. 13. A. MDXLIV. ad Bullingerum exaratas, prolixas, ſed e-

(f) P. 93. ſqq. verba autem allegata extant p. 111. ſq.

gregias lectuque digniſſimas, e quibus præter cætera elucet, nulli eum peperciſſe labori, ut Tigurinos ad concordiam cum Luthero ſanciendam permoveret, verum propterea male ab iis habitum, omnemque ejus rei ſpem ipſi ereptam fuiſſe. En quædam illius verba, cum liber parum obvius ſit: *In confeſſione Baſilienſi diſerte poſitum eſt: Dominum dare corpus & ſanguinem ſuum, id eſt, ſeipſum ſuis vere. Item, Symbolis ab ipſo Domino per Eccleſiæ miniſterium veram & corporis & ſanguinis ejus communicationem exhiberi. Memini Vos Tigurinos, ut hanc confeſſionem daretis, perſuaderi ægerrime potuiſſe: tamen eam quia dediſtis tanti in adminiſtratione religionis viri, ſpem certe concordiæ per univerſam Germaniam conſtituendæ conceperam, nonnunquam quidem nutantem eam, ſpem tamen. Porro ubi animadverti vos antea, & in ultimo conventu apud vos habito omnino mutatos, ego vos Domino commiſi. Et quanquam graviſſimis tunc injuriis & contumeliis eſſemus, optimus Capito & ego, in urbe veſtra affecti, vobis non valde ob id (ut videbamini) iraſcentibus:*

nam

nam ipſe pro concione nos non fraterne commendaveras populo tuo: mitto ſparſos per urbem rumores ante adventum noſtrum, dum aderamus, & poſt diſceſſum noſtrum: mitto quæ iſthinc etiam ſcripta poſtea, & nunciata ſunt contra nos, multa ſane inamica & non fraterna. Omnia tamen Domino & tranquillitati Eccleſiarum, præclarisque donis veſtris, quibus vos Dominus ornavit, condonavimus, inque vero amore, ſtudio & obſervantia veſtri perſtitimus: quæ merito offendebant, omnino diſſimulantes: idem & porro faciemus. Quod itaque ad vos attinet, pridem feci id, quod oras: conatum vos cum Luthero in concordiam hac in re reducendi, & veſtram (hanc ſcilicet quam nunc clare profiteris) & Lutheri ſententiam conciliandi, quod fieri non poſſe nunquam non vidi, depoſui. Apud alios autem, quibus Dominus mihi plus auditus pro regno ſuo paravit, concordiam, quæ ipſius ſinguldri beneficio, meo non vulgari ſtudio & labore (ipſi ſit gratia Domino, qui hoc dedit) feliciter conſtituta eſt, fovere & conſervare, ut debeo, dum licet, non deſinam. De voto tuo, quo optas hoc negotium cœptum nunquam eſſe, ipſe videris. Equidem gratulor Eccleſiis Chriſti, quod plurimi doctiſſimi & ſanctiſſimi viri totque Eccleſiæ diverſo voto

ſunt. — — Sane his ipſis diebus ad me delatum eſt, te aliquando me dignum judicaſſe, propter fucatam concordiam vapularem. Equidem autem fucati nihil egi unquam: quæ utrinque ſtaret ſententia, bona fide utrinque retuli. Concordiam in eo conſtituendam ſuaſi, in quo & debere & poſſe conſtitui non dubitabam, ut faterentur ſcilicet utrinque; Dari & percipi cum ſymbolis vere verum corpos Domini; modum explicarent quique pro ædificatione ſuæ Eccleſiæ.

§. 29.

Ipſi inſuper Tigurinæ Eccleſiæ & Scholæ Doctores Henricus Bullingerus, Henricus Buchterus, Rudolphus Gualtherus, Conradus Pellicanus & Theodorus Bibliander diſerte ſuum a Bucero diſſenſum, hujusque cum Luthero conſenſum teſtati ſunt in literis ad Bucerum (g) & cæteros Argentinenſes Theologos A. MDXLVII. d. 10. Jan. datis, in quibus rationes enarrant, quapropter juvenes Tigurini, ſtudiis apud Argentoratenſes operam dantes, cum

(g) Leguntur eæ apud Pappum l. c. p. 176. ſqq. verba autem citata invenies p. 177. ſq.

cum iis communicare nequeant, ubi inter alia: „Qui ſacramentis nobiscum„ communicant, ipſa communicatione„ profitentur, ſe eandem nobiscum habe-„re de ſacramentis fidem. Atqui juvenes„ noſtri non eandem vobiscum fidem ha-„bent. Cur ergo opere profiterentur fo-„ris, quod intus in animo non ſentiunt,„ aut cur nos juberemus illos contra ani-„mi ſententiam & propriam conſcien-„tiam facere? Habent iſti juſtæ æſtatis an-„nos, utuntur ratione ſana, intelligunt„ quid utrobique doceatur publice. Cæ-„terum nihil ab illis requiritur, quam con-„feſſio Paulina: Panis quem frangimus,„ nonne eſt &c. Verum audite fratres,„ non de verbis Pauli, ſed de ſenſu ver-„borum Pauli eſt nobis controverſia. Et„ fidelis Sacramentorum perceptio requi-„rit veritatem & ingenuam eandemque„ confeſſionem, ſimulationem repellit.„ Non idem eſt D. Bucero & nobis de eo„ Pauli loco judicium, non eadem ſenten-„tia, imo conveniret nobis egregie cum„ Bucero, ſi ipſe a ſemetipſo non diſſenti-„ret. Ita enim de eo loco & de ſenſu ver-„borum Pauli, ſentimus, ſicut expoſitum„ eſt primum quidem in Diſputatione Ber-„nenſi, cui ille ſubſcripſit: deinde in enar-„ratio-„

„rationibus Evangeliſtarum D. Buceri: „poſtremo in Arbogaſte ejusdem. Id „vero doctrinæ genus cum ille mutarit, „& D. Luthero beatæ memoriæ diverſum „ſentienti acceſſeritante annos aliquot, „ideoque a ſe ipſo diſceſſerit, diverſum „ab ipſis ſentimus, ſed non diverſum a „S. Paulo.„ Ne quid jam dicam de eo, quod Principes & Status Evangelici in colloquiis publicis cum Pontificiis habitis, Buceri opera uſi ſint; quo certe honore illum dignati haud eſſent, ſi ejus fides & ſinceritas ipſis fuiſſet ſuſpecta: ne quid de maximis elogiis, quibus Megalandrum Lutherum jure meritoque ornavit *(h)*: ne quid denique de illo, quod in Angliam abiens Argentoratenſibus D. Jo. Marbachium, a Zwinglianis Iſna pulſum, ſummopere commendaverit *(i)*. Non igitur credo defore argumenta fortiſſima Maxime Venerando Jo. Melch. Krafftio, ſi ad orthodoxiam Buceri tuendam cum adverſariis in arenam deſcendere opus fuerit *(k)*.

§. 30.

(h) Vid. Agenda Eccleſiaſtica Argentoratenſia. p. 53. ſqq. edit. 1670.

(i) Vid. l. c. p. 51.

(k) Vid. ejus præfat. Prodromo hiſtoriæ Verſionis Germaniæ Bibliorum præmiſſam p. 7.

§. 30.

Tandem ad Confeſſionis Tetrapolitanæ editiones recenſendas accingor. Germanice primum cum Apologia in forma quadruplici Argentorati A. MDXXXI. d. 22. Aug. in lucem prodiit, typis Joann. Schweintzeri exſcripta, hoc titulo: *Bekandtnuß der vier Frey und Reichs-Stätt, Straßburg, Coſtanz, Memmingen, und Lindau, in deren ſie Keyſ. Majeſtat uff dem Reichstag zu Augſpurg im XXX. Jar gehalten, ihres glaubens und fürhabens, der Religion halb, Rechenſchafft gethan haben. Schrifftliche Beſchirmung und verthedigung derſelbigen bekantnuß gegen der* Confutation *und Widerlegung, ſo den Geſandten der vier Stätten uff bemeldtem Reichstage offentlich fürgeleſen, und hie getrewlich einbracht iſt.* Deinde recuſa ibidem A. MDLXXIX. per Theodoſium Rihelium fuit, & porro Biponti A. MDCIV. Latine vero prima vice publicata eſt Argentorati A. MDXXXI. menſe Septembri, absque Apologia, Georgio Ulrichero Andlano impreſſore, quam editionem rariſſimam mecum benevole ex Ulmenſi Bibliotheca publica communicavit conſummatæ eruditionis & maximi nominis Theologus, Joannes Frickius,

non

non Ulmæ tantum ſuæ, ſed & Sueviæ noſtræ inſigne ornamentum, cujus ſingularem humanitatem ac reliquas virtutes ſatis prædicare nequeo. Altera vice lucem vidit Genevæ A. 1581. in Harmonia Confeſſionum, Theod. Bezæ præſertim ſtudio vulgata, quæ editio non ſine augmento ibidem A. MDCLIV. iterata fuit h. t. Corpus & Syntagma Confeſſionum Fidei, quæ in diverſis regnis & nationibus eccleſiarum nomine fuerunt authentice editæ, in celeberrimis conventibus exhibitæ, publicaque auctoritate comprobatæ &c. Ex his autem nonniſi binæ illæ editiones, Latina ſcilicet & Germanica, quæ Argentorati A. 1531. luci expoſitæ fuerunt, publica auctoritate & conſenſu quatuor civitatum prodiere. Alteram contra Argentinenſem, quam officina Riheliana dedit, ſuppreſſam eſſe opinor, ita tamen, ut quædam ejus exempla elapſa ſint, quale & mihi ad manus eſt. Vix enim typographicos carceres evaſerat, cum Perilluſtris Reipublicæ Argentoratenſis Senatus propterea conſilium Theologorum ſuorum expoſceret, qui ejus ſuppreſſionem maximopere ſuaſerunt, rati, æquum haud eſſe, ut, inſciis ac invitis reliquis civitatibus, quarum

rum nomine Cæſari olim oblata erat, recuderetur, præterea fore, ut apud cæteros Evangelico-Lutheranos Argentinenſes in eam ſuſpicionem incidant, ac ſi rejecta invariata Confeſſione Auguſtana, cui jam olim nomen dederint, Tetrapolitanam rurſus probavetint: denique variis inter Eccleſiæ & Scholæ miniſtros diſſidiis & altercationibus feneſtras ſic aperiri. Conſilium hoc, A. MDLXXX. d. 8. Apr. conceptum, legitur in ſæpe laudata Apologia, a Jo. Pappo pro Agendis Eccleſiaſticis Argentinenſibus conſcripta (*l*).

(*l*) P. 456. ſqq.

II.

APPENDIX

Siſtens quædam documenta, ad ſuperiorem Commentationem pertinentia *(a)*.

A.

Urbani Regii *(b)* Conſilium

Et Reſponſum de colloquio Memmingæ ſub Magiſtratus auſpiciis a D. Chriſt. Schappelero A. MDXXV. cum Pontificiis habito.

(a) Omnia ex autographis deſcripta, ſi excipiam libellum ſupplicem, a legatis Argentin. Noriberg. Conſtant. Ulmenſ. &c. Cæſari oblatum, qui infra comparet, litera G. inſignitus.

(b) Præſtantiſſimi & ſummi hujus Theologi duo alia præterea in tabulario noſtro publico ſervantur Conſilia, non moderationem minus & prudentiam, quam eruditionem exquiſitam ſpirantia.

Jeſus

Jesus ist Christus.

ERsamen wysen fürsichtigen lieben Herren und Brüder in Christo unserm ainigen Heiland, Gott sy gelopt in der ewigkheit, der ewer Wyßheit ain solchen ernstlichen geist geben hat zu handlen in den allertreffelichesten sachen vnnsers heiligen waren gloubens Ich hab von ewerm gesannten anfang vnnd end des freuntlichen gesprechs clarlich vernomen, und bin seer erfröwt, das sich die prieſter auß gnaden Gotts, dem wort vnsers Heils vnd euch ewer Wyßheit alls ir von Got ingesezter Oberkheit, mit bekantnuß ires irsals vnderworffen haben, Gott woll bestetten das er in euch gewirckt hat, amen. Die artickel sampt irer bewegung hab ich gesechen, an welchen ich kain feel hab, allein vs christlicher trew will ich vs ewerm vertrawlichen ansuchen uff das kirtzest darzu reden, das mich zur sach nit vntäuglich bedunckt, das wellet von mir viwerm diener gietenclich annemen.

Zu erst der artickel halb so D. Christoff mit ewern prieſtern conferirt hatt,

1. Dieweyl diese artickel zu vnsern zyten alls newe leer vnd verdechtig von den vngelerten, ouch von den vermainten gelerten Sophisten geacht werdend, ist von nöten, das

der prediger mit höchſter beſcheidenheit ſich vleiſſe darvon zureden, nit mit neid vnnd ſturm, ſonder mit ſeinfftem truwem mitliden das die ainfeltigen nit verirrt werdend vnd erſchreken, auch muß man vm des ſtarcken Irſals willen, der ſich in diſen letzſten tagen erhept, vrbittig ſin allermenigelich in ſenfftmuthigkheit gutten richtigen beſcheid zugeben, dadurch vil hallsſtarriger erwaicht vnnd zu erkantnus vnd bekantnus der warheit komend, das ſunſt mit miie vnnd arbeit geſchicht, Als der Oren bicht halb, muß man gutten beſcheid geben, da durch dennocht der mutwilligen freuel nit geſterkt werd, vff die oder der glich mainung, Bychten uß Hertzen grund und ernſt, ſyne ſünd, iſt von nöten, den niemantz wirt frum vnd ſelig, den die demütigen bekenner irer nichtigkeit: das ſoll allweg geſchechen dem ainigen Gott durch den rechten obriſten ewigen prieſter Chriſtum, do nit not iſt der sünd erzelung von ſtuck zu ſtuck ſonder ain bekantnus aller sünd in gemein auß hertzlicher begird fromm zu werden, Wo aber ſich zutrieg in notwendigen ſtucken vnſers heiligen Gloubens vnnd in angſt der gewiſſin das iemantz vnderricht bederffte vnnd troſt vß der ſchrifft, hie iſt nott das man das ſelbig in clagweis einem glerten bekenne vnd rat forſche,

sche, zu solchem hatt man im anfang der christlichen kirchen die priester gebrucht Aber das man alle gedancken, begirden und heimlicheit sampt der sünden vmstenden müßte, by der vnbild Gottis ins Priesters or runen, das ist ain mönchesehs gedicht on allen grund, Des priestertümbs halber, ist auch schwerlich geirrt worden, dann so wir, die gebrechliche arme menschen zu opfern vnd versönen gebrücht haben, ist darneben, der vnschetzlich verdienst Christi, sein hochwirdigs ewigs priesterthüm, sin vertrettung vnnd gnad, der wellt gantz vnbekannt worden, das vnter tusenden kom ainer gedacht hatt, worum vnnd worzu doch Gott sinen Son in dise wellt gesannt hab. Des fegfeuers halb, hab ich for min meinung erzaigt, ich wayß von keinem fegfeur nach dem leben. Ich laß mir ouch kain artickel des glaubens machen, er habe denn sinen grund in der biblische schrifft, Sunst müßten wir ains ieglichen tollen mönchs oder geitzigen pfaffens trom für ain artickel vnsers gloubens annemmen, das doch vor iaren weder Hieronymus noch Augustinus haben thon Wellen,

Der zechend davon im 3. artickel bedarff wyter erclärung,

War ist es, das der zehend im alten testament [Num. 18.] *den leuiten von Gott be-*

ſchaiden ward, aber nun das aaroniſch prieſterthum vnnd leuiten nit mer ſind, doch an ir ſtatt ſind diener der Gmaind, welchen Paulus 1. Cor. 9. *ſunſt ir narung verordnet, Man nenns wie man welle, ſo mag ſich ain diener des Evangeliums ſeiner fryheit gebruchen und ſin Lybsnarung empfachen Aber welche nit das Euangelium predigen vnnd* Diacon *ſtand halten denen iſt man nichs ſchuldig, dann was frye liebe thut.*

Zu vnſern zyten aber ſind ander zechend, die niemand fordert uß götlichem rechten, ſonder uß menſchlicher pflicht, ordnung vnd ſatzung, welche ſatzung aber ir krafft uß göttlichem Rechten hatt, alls wann landsbruch, ainem regenten oder oberkheit zechenden zu ſeiner vnterhaltung vergunnt wirt, It. wo dirfftige leut in ainer Gmeind ſind, denen ſunſt nit wol kan fürſechen werden,

Darum ewers zechenden halber der dem ſpital zugehört, ſag ich alſo, dieweil er armen dürfftigen leuten zugehört, die vor kranckheit vnd allter ir brot nit mögen gewinnen, ſoll man ynn nit verwerffen, vorauß ſo er vm frommer leut gellt vnd gutt erkaufft iſt, man iſt ynn ſchuldig zu geben, und mag ynn nemen, Wo aber in ſolchem layen zechenden mißbreuch werend, ſoll ain von Gott

inge-

ingeſetzte weltliche Oberkheit ain ernſtlich inſechen haben, vff das dem natürlichen geſatzt vnnd chriſtlicher liebe gleichförmig gehandlt werd, das niemantz vnbillich beſchediget, niemantz vnbillich einneme, vnnd alſo vff beiden theilen chriſtliche trew vnd liebe vnd des nechſten nott wol bedacht werde, Vnd dieweil zu nemen iederman geneigt, zu geben unwillig iſt, ſoll der prædicant *hie gar wol für ſich ſechen, do mit niemantz zu vffrur vnd erfüllung süns mutwillens geraitzt werd, beiden partheyen ſoll vnderſchidlich deutlich vnd offt erzellt werden was billich vnd recht iſt, die ſo zechenden ſchuldig ſind, ſollen vnderricht werden, wie man iederman ſolle geben was man ſchuldig iſt, wer ſich des widre, der ſei nit ain chriſtenmenſch,* Ro. 13. *It. welche den zechenden innemen, ſollen für ſich ſechen, das ſy die ſchnur brüderlicher lieb nit vbertretten, vnnd ſoll alſo, allenthalb mit ernſtlicher beſcheidenheit fürgſechen werden, das nienderts chriſtliche freiheit, zu fleiſchlichem muttwillen vnnd aignem nutz mißbrucht werde, Dorum fürſechend, lieben Herren, das vff den pfarren doher dem ſpital zechend kompt, fromm trew, gelert meuner sünd, domit im dienſt des wort Gottis ain gmaind wol ſei verſechen, ſo mag die ſach deſter baß*

erlitten werden, denn offt wirt der kern dem pfarrer entzogen vnd blibend die ſpruwer, do durch das recht pfarrer ampt nichs verſechen wirt zu erſchroklichem verderben der armen ſeelen, dorum bedarff es hie vffſechens, will geſchweigen das die richen Spiteler offt vil inkomens haben, do durch, wo rechte ordnung gehalten würd, allen husarmen leuten ainer gantzen ſtatt möcht geholffen werden, das nit ſo vil betler weren, vnnd etwa durch ſolliche hilff fil vbels fürkomen wurd. Es iſt nit gut das allein allweg ain ſpitalmeiſter, oder der ſpital, am ynkomen renten, gillten, zechen vnd derglich erhöcht werd, es iſt der armen, den ſoll es auch ußgeteillt werden, was iſts das 40. oder 50. menſchen haben allein, dauon man alle durfftigen ainer ſtatt möchte vnderhallten, dorum ſechend in die ſach vnnd leſt euch vmm der barmherzikheit Gottis willen, die armen chriſtlich befolchen ſein, ir hapts wol, es darff allein ainer ordnung, loſt euchs nit ain kleins werk ſin, wo ir fürbetrachtlich vnnd trewlich den armen helfft, nun hapt ir doch ain exempel von vil ſtetten, do ain kaſt der armen vffgericht iſt, alls hie zu Augſpurg vnd an andern orten mer,

Was nun D. Chriſtoff wider den zechenden

bat

hat geredt, das ist nit wider euch, wenn ir der sach, wie oben angezeigt ist, nachkomend,

So vil von artickeln.

Jetz anderer sachen halber, so vil Gottis gnad gibt, Mir gefallt vast wol, das ir Sympertum bapt angenomen zu ainem prediger neben D. Christoff, dann er alls frum gelert vnnd bescheiden gerümt wirtt, bin ewerthalben von hertzen fro, O wellte Gott das solliche mithelffer im wort Gottes ouch zu Augspurg neben mir wurden angenomen vnd ie mer ie besser, der schnitt ist groß, aber der schnitter sind wenig, Item zwen mögen allweg mer sechen denn ainer, vnd sind die gaben Gottis nit all in ainem menschen, es begibt sich etwo das ainer zu gech vnnd hizig ist, derselb bedarff ains langsammen vnd beschaidnen neben ymm dodurch sein hitz temperirt werde, dorum zwen offt vil guts schaffen mögen, do ainer die sach möcht verderben, Ir wist wol wie grosser fürsichtigkheit, bescheidenheit vnnd wie ains grossen ernsts zu disen ziten nott ist, dorum wo Sympertus nit partheisch, Carlostadisch oder dergleich ist, bapt ir gantz recht vnnd wol thon, darab billich D. Christoff ain fröd haben soll, ich bederfft sollicher leut hie ouch wol, vnnd hab newlich ain angenomen vß

ains erſamen Wiſen Rats wyſſen willen vnd vergunſt, der iſt erſt von Wittenberg komen.

Der Jartäg Meſſen vnd Vigilien halber.

tiſſimum in reddendis Hebraiſmis: quaſi ea demum ſacra debeat haberi lectio, quæ maxime ſit fœda plurimumque confuſa, nec præſtet penitus ſilere, quam ita conglomerare verba, ut a nemine intelligantur. Unicum modo notatæ ab eo vulgatæ translationis, idque ex ipſo libri limine depromtum, dabo ſpecimen. *Non abiit*) *Interpres quisquis tandem ille fuerit, mox in limine aberravit a via, non modo attingens ſententiam, ſed etiam delinquens in re grammatica. Siquidem abire in conſilium recte dicimus, abire autem in conſilio, non item. Quanquam in hac re levicula condonandum nonnihil arbitrarer hominis ruditati, ſi oratio parum Latina doctrinam ſacram non obſcuraret. Quis enim neſciat, omnem ſermonem eo magis eſſe perſpicuum, quo magis eſt aptus ac proprius? Itaque longe evidentius eſt, quod Felix Pratenſis natione Hebræus legit: Non ambulavit, & ut Græcus habet contextus:* οὐκ ἐπορεύθη *quod idem ſignificat. Indicatur enim his verbis, pios non veniſſe in deliberationem, qua cum impiis communicarent conſilium de peccando. Quando peculiare eſt iis, quibus ad res aggrediendas non ſuppetit conſilium ſurſum ac deorſum*

curſitare, ut non abſurde Salluſtius Catilinam ſuum de Rep. ſubvertenda curioſum; inceſſu vario uſum deſcripſerit. Hæc paulo diligentius adnotavimus, quo lector ex hoc primo errato æſtimat ea, quæ ſequuntur, meque non uſque adeo temere arbitretur hanc provinciam caſtigandi Pſalterii ſuſcepiſſe.

§. 4.

Ipſa autem ejus Latina Pſalterii translatio e Græca potiſſimum verſione petita eſt, adhibitis tamen nonnunquam in conſilium quoad textum Hebraicum Felicis Pratenſis lucubrationibus: cumque illa eodem tempore, quo Germanica, lucem adſpexerit, facile eſt conjectu, utramque omni ex parte inter ſe convenire. E ſpeciminibus igitur, a Doctiſſimo Brukero exhibitis, non difficulter de Latina quoque verſione judicium ferri poteſt. Ne tamen prorſus ἀσυμβολοι recedamus, ſuperpondii loco & nos heic pauca adjiciemus.

Pſalm. LIV. 1. 2.

In finem in carminibus intellectus David cum veniſſent Cyphei & nuntiaſſent Sauli, nonne David abſconditus eſt apud nos.

Pſal.

Psal. LVI. 1.

In finem pro populo, qui a sanctis longe factus est in tituli inscriptione ipsi David, cum tenerent eum Allophili in Gath. (b)

Psal. LXXIII. 10.

Ideo convertatur populus meus hic; & dies pleni invenientur in eis (c).

Psal. XC. 10.

Quoniam venit super nos mansuetudo, & corripiemur (d).

Psal. CIV. 11. 12.

Potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri item, donec sitiant.

(*b*) Perspicis inde, ipsum etiam Luscinium in eo, quod aliis vitio dederat, deliquisse, Græcam interpretationem, in titulis præsertim Psalmorum, κατα ενιαυτον reddendo, atque ita sensum obscurando.

(*c*) Posterioris hemistichii verba in fontibus Hebraicis ita fluunt: מי מלא ימצו למו. Luscinius vero Græcos interpretes secutus est, qui ימי legerunt, & ימצו a מצא derivarunt.

(*d*) Ita enim LXX. quos expressit noster: ἐπῆλθε πραΰτης ἐφ' ἡμᾶς καὶ παιδευθησόμεθα, sed nullo sensu. Longe aliter Hebræus textus, quem optime expressisse videtur B. Lutherus noster: *Denn es fähret schnell dahin, als flögen wir davon.* Quam sententiam etiam tuetur Celeb. Alb. Schulteus in Animadversion. Philol. & Criticis ad varia loca Vet. Test. p. 175.

In ſummitate eorundem montium volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt vocem.

v. 16. 17. 18.

Non deerunt ligna campis, & cedri Libano, quas plantavit, illic paſſeres nidificabunt. Ardeolæ domus dux eſt eorum, montes excelſi cervis, petra refugium eſt erinaciis.

§. 5.

Nunc reliqua, quæ nobis in promtu ſunt, Luſcinii opera breviter enumerabimus. Anno MDXV. Argentorati in forma quadrifariam complicata typis Joannis Knoblauch Græce & Latine exſcribi curavit Iſocratis paræneſin ad Demonicum, & orationem de gubernando regno ad Nicoclem, quas in præfatiuncula jam pridem e Græco ſe transtuliſſe memorat. Eodem anno ibidem ex officina Joannis Schotti publicavit *Collectanea ſacroſancta, Græce diſcere cupientibus non aſpernanda*, quibus præmiſit *Introductiones*, quas vocat, *elementares Helleniſmi*, Alphabetum tantum Græcum & literarum diſtinctionem tradentes. Exhibentur in eo opuſculo Græco-Latina

oratio

oratio dominica, ſalutatio angelica, Symbolum Apoſtolorum, Nicænum item & Athanaſii, Mariæ, Simeonis & Angelorum cantica &c. adnexis ſententiis ſeptem Græciæ ſapientum &c. Collectanea hæc partim alibi jam impreſſa fuiſſe, partim a ſe, dum inter Græcos verſaretur, e fidis exemplaribus exſcripta ait in litteris ad Schottum præfixis, & ex Viridario S. Joannis Argent. datis, e quibus hæc pauca decerpere placet: *A qua* (Argentina ſcil.) *vitam pariter & rei literariæ primitias olim accepimus. E quorum numero* (Græcæ nimirum linguæ ſtudioſorum, quorum multos Argentinam alere ante dixerat) *fraudare non poſſum præconio ſuo hominem cum primariis utriusque linguæ athletis certantem Joannem Ruſerum, Theſea meum, qui labori noſtro non mediocres ſuppetias tulit.* Anno autem MDXXIV. Auguſtæ Vindelicorum ex officina Symp. Ruff in forma octipertita vernaculo ſermone edidit Ammonii Alexandrini Harmoniam Evangelicam, h. t. *Dye Evangeliſch Hiſtori nach aller Ordnung wie ſie ergangen in ain Red geſtelt, allen Chriſtlichen Gemyeten nutzlich zu betrachten, und zu ayner Gedächtnuß der Göttlichen Guttat zu machen dienſtlich. Von* Ammonio Alexandrino

drino *kriechiſch beſchrieben, und durch* Othmarum Nachtgal Doctorem *zu Latein und Teutſchem gebracht.* Liber hic ab eo dicatus Raymundo Fuggero, literatorum eo tempore Mæcenati, fuit. Præterea Ger. Jo. Voſſius *(e)* Luſcinium An. MDXXXV. pretium aliquod nominis tuliſſe & *Muſurgiam* vulgaſſe refert. Cætera vero ejus ſcripta in Bibliotheca Geſnero-Simlero-Friſiana *(f)* indicantur.

§. 6.

Equibus liquere puto, nequaquam ſuo ævo Luſcinium ωφον προσωπον in Rep. literaria egiſſe. Cæterum jam olim ſuſpicatus fui, eum a Joachimo Camerario *(g)* innui, narrante, *de Hutteno mortuo in itinere verſus a ſe ſociisque compoſitos, & refutatos quosdam illum lacerantes: in quibus cum Luſcinius quispiam nominaretur, vulturem hunc potius eſſe*, epigrammate quodam Melanchthonem pronunciaſſe. Eandem vero conjecturam Celeb. Jac. Burck-

(e) In libro de univerſæ Matheſeos natura & conſtitutione, cui ſubjuncta eſt Chronologia Mathematicorum, p. 352.

(f) f. 647.

(g) In Vita Melanchthonis p. 94. edit. Lipſ. A. 1566.

Burckhardum (*b*) fovere poſthac vidi, qui iſtud epigramma nobis legendum exhibuit:

Quum laceres miſeros crudeli carmine Manes,
Nomen erit vultur, non Philomela tibi.

Idem Vir eruditiſſimus Luſcinium, urbis Baſileæ eccleſiaſten fuiſſe commemorat, Eraſmo primum amicum, deinde inimicum adeo, ut in convivio dixerit, *Eraſmum eſſe nebulonem, & omnes, qui legerant ipſius libros, fieri nebulones.* Unde mordax & contentioſus, nec ea animi temperie morumque venuſtate, quæ eruditos decet & maxime ornat, præditus fuiſſe videtur.

(*b*) In Vita Ulrici de Hutten Part. II. p. 270. conf. Part. III. p. 287. ſq.

VI.

SPECIMEN SUPPLEMENTORUM GEOR. HIER. WELSHII AD BIBLIOTHECAM GESNERO-SIMLERO-FRISIANAM.

Præfatio Editoris.

AUt nemo unquam omni ætate ſublime Polyhiſtoris nomen reipſa promeruiſſe dicendus eſt, aut certe Georgius Hieronymus Welſchius, maximum & Auguſtæ & ævi ſui decus, inſcientia diviniori, jurisprudentia, arte ſalutari & elegantioribus, quas vocant, litteris præclare verſatus, atque adeo omnigenæ eruditionis mactus ſupellectile, Italicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, Græcæ, Latinæ pluriumque linguarum orientalium, Arabicæ præſertim, ad miraculum uſque peritus, inexplebilis librorum heluo, ſtupendæ induſtriæ ac infinitæ lectionis Vir, qui, quæ multi ſingula, ſolus habuit. Vitam ejus deſcriptam nobis dedit Illuſtris Lucas Schroeckius,

ckius, enarratis ſimul illius operibus, tam editis *(a)*, quam ineditis & affectis animoque conceptis *(b)*, quorum numerus & ſoli tituli vaſtiſſimam Viri eruditionem teſtari, omnesque in ingentem admirationem conjicere queunt. Ipſe etiam Welſchius vivus adhuc ſpiransque epiſtolam de ſcriptis ſuis ad Bibliopolas & Typographos S. R. Imp. A. MDCLXXIV. exaravit, annexam Ger. Jo. Voſſii & Clarorum Virorum ad eum Epiſtolis, Auguſtæ An. MDCXCI. in fol. recuſis. Licet vero ibi haud meminerit Supplementorum, quibus Bibliothecam Geſnero-Simlero-Friſianam auctiorem reddidit, digniſſima tamen ea videntur, quæ vel ſeorſim, vel cum laudata Bibliotheca, ſi quis forte in poſterum novam illius editionem ſuſciperet, publicæ luci exponantur. Adſervat ea Vir Maxime Venerandus atque Eruditiſſimus M. Georgius Ruprechtus, Verbi Divini in Eccleſia Auguſtana Miniſter optime meritus, qui pro incomparabili, qua pollet, humanitate facile conceſſit, ut inde quædam ſpecimina huic opellæ inſererem. Accipe igitur paucas Viri

(a) In Memoria Welſchiana, quæ Auguſtæ Vindel. A. MDCLXXVIII. in 4. prodiit, Cap. VIII. p. 45. ſq.
(b) Loc. cit. Cap. IX. p. 55. ſqq.

Viri ſummi notationes e plurimis, quæ ſingulare volumen efficerent, decerptas, ac ſtudium noſtrum boni conſule.

Adelardus Gothus Bathonienſis vertit ex Arabico in Latinum ſermonem Libros XV. Elementorum Euclidis. Extat inter MSS. Codd. Bibl. Regiæ Franc. cum Commentario Campani Navarrenſis, num. 629.

Æmilius Sura ſcripſit de annis Populi Rom. ut legere eſt apud Vellejum Paterc. Libr. I. Cap. 6. ubi nobile fragmentum ex eo laudatur. Quanquam alii velint eſſe ex gloſſemate: quos tamen impugnant merito. Zuer. Boxhornius, Joſ. Scaliger Lib. III. Can. Iſagog. Voſſ. de Hiſt. Lat. Lib. III. Part. alt. Quis autem ille fuerit, non reperiſſe dicit Juſt. Lipſius. Nec mutare nomen audet præter omnium Codicum fidem laudatus Voſſius & ex eo Bœclerus in Vellej. Alius ergo fuerit Manlius ille aut Manilius Sura, cujus mentio apud Plinium.

Agathodæmonis Chryſopœia cum pluribus aliis ejusdem farinæ Chymicis Auctoribus extat in Bibl. Græca MS. Scorialenſi, ut videre eſt ex Catalogo Alexandri Barvoetii S. J. Agathodæmonis ænigma

ma neſcio quod extat in Bibl. Regis Galliæ.

Almaſtäimus vel Almaſtuinus Andaluſius ſcripſit de facultate & uſu ſimplicium Medicamentorum, & habetur in Bibl. Leidenſi inter eos libros, quos ex Oriente advexit Jacobus Golius.

Alphragani Aſtronomica Arab. MS. in Bibliotheca Vaticana, itemque de ſinubus rectis. Ejus Aſtronomiam ex Oriente ſecum attulit Golius: aſſervaturque inter libros Arabicos Bibl. Leidenſis. Ejus etiam quædam extant in Bibl. Regia.

Angelus Calaber Abbas Diſcipulus Conſtantini Laſcaris. Ejus extat oratio MS. in Bibliotheca Caroli de Montchal, Cod. XLVI. εἰς τὰ βάϊα. Inc. ἐγὼ δὲ ὡσεὶ ἐλαία. Def. καὶ ὑμεῖς ὁ χρισιανοὶ σήμερον ἐπλεκόμεν. Agit autem de ſeptem donis Palmæ & Oleæ. Ad marginem: Ἀββᾶ Ἀγγέλε τῦ Καλαβρῦ φοίηκε Κωνσανλίνε Λασκάρεως τῦ βυζανλίε.

Antonius Nicolette. Aſſervantur in Bibliotheca Naudæi Auguſtini Libri de Civ. Dei integri Charactere optimo, inter ordinarium & uncialem medio, proindeque lectu facillimo. Sub finem hæc verba: Ego Presbyter Antonius Nicolette de Civitate Ducali ſcripſi hunc librum in duobus annis.

Auri-

Auriſpa Orator. In Moræi Bibl. latet Comparatio de præſidentia Hannibalis Carthaginenſis, Alexandri M. & Scipionis Majoris Romani apud Inferos, ex Gr. in Latin. converſa ab Auriſpa Oratore ad Baptiſtam Senatorii Ordinis Civem Romanum.

Badilo alias Ludilo, ſcribit de vita S. Magdalenæ, Marthæ ac Lazari; & teſtimonia litterarum Summorum Pontificum de translatione corporis S. Magdalenæ ex territorio Aquenſi tempore Gerardi de Roſſilione Comitis Burgundiæ, in Monaſterio Vezeliacenſi. Aſſervantur in Bibl. Reg. inter Membranas ante annos plus minus 500. exaratas.

Balduinus de Avennis, Margaritæ Flandrorum & Hannoniorum Comitiſſæ filius. Ejus fragmentum Genealogicum ex Chronicis Haynonienſibus collectis extat in Bibl. Jo. de Bouchet Equitis. Extat & alterum Chronicum ab eodem Auctore, vernacula (Gallica) lingua ante complures annos elucubrati, cujus titulum deſcripſit Labbæus in Bibl.

Beneintendens Cancellarius. Ad illuſtr. Dominum Laurentium Celſi, Venetiarum Ducem commendatoria vitæ actæ,

&

& exhortatoria peragendæ. Inc. Recenſenti mihi &c. Def. Beneintendens Cancellarius Tuus licet indignus, antequam etiam Dux fueris totus tuus. Succeſſit Dux iſte An. 1631. Libellus optime ſcriptus latet inter Codices Naudæanos.

Bonifacius Veronenſis Princeps, qui ante 200. vivebat annos. Reliquit poſt ſe Veronica heroico poëmate mille verſuum celebrata. Incipit: *Cœleſtes aditus & divi numina vultus* &c. MS. in Bibl. Naud.

Braulio Epiſcopus Cæſar-Auguſtanus. Habetur in Biblioth. Moræana Codex MS. in quo Iſidori Etym. Libr. XX. cum tribus epiſtolis Iſidori ad Braulionem, & Braulionis ad Iſidorum, quæ non ſunt in editis *(c)*.

Cœlius Igianus Medicus antiquus. Aſſervatur Codex MS. ſub tit. Flores Medici Cœlii Igiani, apud Julium Rechaldum Medicum Ferrarienſem. Inter illos flores extat

(c) Eſt & inter meas reculas Codex MS. Etymol. Iſidori Hiſpalenſis, cui iſtæ epiſtolæ itidem præfixæ ſunt. Sed habentur quoque in editione ejus operis omnium prima, Auguſtæ Vindel. A. 1472. per Gonterium Zainer de Reutlinga in fol. curata, quam ſervat Bibliotheca Memming. publica. Easdem vidiſſe quoque in editione omnium Iſidori operum Pariſienſi memini.

extat & ænigma de Pyronarcha, quod juſto volumine duplici explicatione de fulmine & febri ſolvit Fortunius Licetus, ſubtit. Pyronarcha ſeu de fulminum natura deque febrium origine Libr. II. ubi de hoc auctore inter alia: Quis fuerit iſte Cœlius, Græcusne án Latinus author, ipſene Gryphum condiderit, an ab alio authore formatum, is in ſuum librum adduxerit, nondum mihi licuit aſſequi: certe qui flores medicos compilavit, medicus non eſſe non potuit. Libr. II. cap. I. p. 76.

Caſſii Felicis Medicina de Græco in Latinum translata Ardabute & Aſclepio ſeu Callepio Coſſ. hoc eſt anno ær. Chriſt. 447. MS. rariſſ. Bibl. Regiæ. Meminit quidem Caſſi Jatroſophiſtæ Naturalium & Medicinalium & de Animalibus Jo. Antonides *van der Linden* Libr. I. de ſcript. Medicis: verum hujus antiquæ de Græco interpretationis nec tenuis fama ad eum pervenit. Cæterum Caſſii Jatroſophiſtæ problemata extant manu exarata in Bibl. cit. Regia, ſed & fuere ſæpius edita Lutetiæ, Francof. Lugduni & apud Batavos A. 1597.

Chriſtina de Piſan ſeu Piſana ſcribit lingua Gallica de Armis & Viris bello illuſtri-

illustribus. Asservatur in Bibl. Reg. ubi de eadem Tract. *Le Chemin des longues estudes, au Roy Charle VI.* Itemque *la Cite des Dames.* Nec non: *L'Instruction des Princesses & Dames de Cour, & autres.* Christinæ hujus Pisianæ *Le thresor de la Cité des Dames impress.* Parisiis an. 1497.

Christophorus Acosta Africanus Medicus & Chirurgus celeberrimus scribit historiam de natura & virtute rerum Medicinalium, quæ ex Orientali India ad nos pervenere: lingua Hispanica *En Burgos* ann. 1578. Conversa in linguam Italicam An. 1585. ed. Venet. Scripsit idem *del loor de las Mugeres. Venet. 1592.* & de rebus Indicis Epistæ. Ecclesiast.

Claudianus Chymicus. Extat inter Auctores Chymicos etiam Κλαυδιανῷ apud Alexandr. Barnoetium Soc. J. in Catalogo MS. Græcorum Bibl. Scorialensis. Eosdem etiam auctores Græcos Leo Allatius possidet, inter quos & Κλαυδιανῷ.

Comarus seu Comarius Philosophus Chymicus. Comarii Philosophi de Lapide philosophico ad Cleopatram MS. Bibl. Naudæanæ & Regiæ. Scribitur etiam Comanus. Ita MS. Bibl. Scorialensis: Comanus Philosophus de arte Chymica:

una cum cæteris ciniflonibus & decoctoribus olei atque operæ. Anonymus quidem ſcripſit in libr. Comarii Philoſophi. MS. Bibl. Renati Moræi Med.

Conradus de Magenberg, Planctus Eccleſiæ in Germania, Auctore Conrad. de Magenberg ſeu de monte puellarum A. D. 1337. ætatis ſuæ 28. Præmittitur gemina præfatio: prior ad Legatum Apoſtolicum in Alemanniam Dn. Arnoldum de Vuidello &c. altera ad Capellanum Domini Papæ Jo. de Piſcib. Legum Profeſſorem: ſequitur deinde onus Meretricum in cujus capite primo Papam alloquitur:

Flos & apex mundi, qui totius eſſe rotundi,
Nectare dulcorum conditus aromate morum,
Orbis Papa ſtupor, clauſor cœli reſerator,
Te ſidus charum, Theſaurus deliciarum &c.

Continet opus illud duas partes: prima eſt de planctu Eccleſiæ in Germania ob diſcordiam inter Papam & Ludovicum Bavarum Imp. Altera autem Clericos & maxime Mendicantes exagitat, qui ſub habitu ſimplici fundant venenum in Eccleſiam Dei; & prænotatam illam nutriant

inter

inter fideles diſcordiam. Clauditur his verſibus:

Tu Virginis ipſe Mariæ
Fili ſicque Dei, meretrices & Phariſæi
Non dedignati ſunt a Te, ſed venerati,
Cum ſua flevere peccata, mei miſerere,
Amen.

MS. Bibliothecæ Naudæanæ.

Erempertus ſeu Erchempertus Langobardus Monachus Caſſinenſis. De hoc habetur in Codice quodam Regio, Hiſtoria de Langobardis Beneventanis a tempore Algelſis ſeu a capto per Carolum M. Franciæ Regem Deſiderio poſtremo Langobardorum Rege An. 775. uſque ad annum C. 880. Prodiit hæc hiſtoria Neapoli primum A. 1626. in 4. cum antiquis Chronologis de rebus Neapolitan. ab Antonio Caracciolo editis. Correctior deinde ibidem Ann. 1643. cura Camilli Peregrini. Scribitur & Herembertus.

Eumolpi Phile expoſitio in IV. Orationes Greg. Nazianzeni latet alicubi in membranis cum Orionis Grammat. libro περὶ Ἐτυμολογίας, de quo Suidas & Auctor Etymologici ſæpiuſcule. Latet autem in Bibliotheca Hiſpanica S. Laurentii una cum Orione.

Florus Magiſter. Collecta quædam a Floro Magiſtro ex SS. Patribus. Extant in MSS. Flori Mag. Lugdunenſis Eccleſiæ Subdiaconi (quem ſanctum & nominatiſſimum vocat Wandelbertus Prumienſis Monachus in præfat. Metrici Martyrologii) Carmen Hexametrum ſeu oratio cum commemoratione antiquorum miraculorum Chriſti Domini noſtri, uti habet Codex Bibl. Petavianæ. Incipit:

O virtus æterna Dei, quem machina mundi.
Suſcipit authorem, cui ſervit terra potusque &c.

Idem ſcripſit ad Modoinum Epiſcopum Auguſtodunenſem verſus elegiacos numero XL. quibus gratias agit pro veſte & linteo manutergio, quæ cum ejus epiſtola acceperat. MS. in Gallia aſſervatur. Eclogæ ex Decretis Pontificum & Synodorum ſanctionibus a Domno Floro MS. in Bibl. Caroli de Montchal. Expoſitio Miſſæ ex Floro compendio excerpta in Bibl. Carmelit. Excalceat. Claromont. in Arvern.

Fortunius Licetus Genuenſis in Patavino Lyceo Philoſophus primarius. Scribit hic juvenis adhuc de anima ſemi-

nis

nis humani commentationem, ſub tit. Gonopſychanthropologia, ad Parentem transmiſſam A. 1598. quam deinde in Piſana Academia A. 1600. mutato nomine de ortu animæ humanæ, inſtinctu aliorum typis tradidit. Hinc prodiere A. 1602. Genuæ libri tres & recuduntur Francof. A. 1606. in 4. Cæterum quæ plura hic & fere infinita annis ſubſequentibus orbi erudito expoſuerit in omni genere diſciplinarum, ipſe exponit ſingulari ſcripto ad Gabrielem Naudæum, de propriorum librorum hiſtoria, ed. Patav. anno 1634. in 4.

Henoch. Hunc libros ſcripſiſſe certum eſt teſte S. Juda & Auguſt. de C. D. L. XV. ex quibus Orig. & Tertull. integras fere paginas citant. vid. & Annium in Commentariis ſuper Beroſum Apocryphum, Sixt. Senenſ. in XXVIII. Hom. Lib. Num. Fragmentum ex Libro I. Enoch adducitur a Scaligero in Annotat. ad Euſebium extatque in Biblioth. Græca Monaſterii Salvatoris Meſſanenſis Urbis celeberrima. Translatum etiam eſt in linguam latinam, inſertumque Oedipo Ægyptiaco Kircheri Tom. II. Ct. I. p. 69. citat & Henochi librum Georgius Syncel-

lus priſcus auctor in ſua hiſtoria. Inſeritur autem idem fragmentum Arabum libris nominatim in Abbenephi, & in Chronico Arabum Abulhaſſem auctore. Verba Arabica cum verſione ſiſtit id. Kircherus p. 76. ſqq. quo loco fidem ejus mirifice extollit.

Janotius Manetius ſeu Manettus Florentinus. Quinque ejus orationes legi poſſunt in MS. Cod. Naud. Prima recitata fuit in ſolemni Leonardi Aretini hiſtorici, oratoris ac poëtæ laureatione: ſecunda ad Alphonſum Arragoniæ Regem in nuptiali unici filii inclyti Calabriæ Ducis congratulatione habita Neapoli in communi & generali auditorio: tertia Florentinorum nomine ad congratulandum Nicolao V. Pont. Max. habita Romæ: quarta eorundem Florentinorum nomine ad Senenſes: quinta ad Venetos, apud quos non ſecus ac apud Senenſes & ſummum Pontificem legati munere functus. Harum vero orationum, quæ eſt ad Alfonſum, edita fuit A. 1611. a Marquardo Frehero cum Sandæo de Regibus Siciliæ & dictis Alfonſi, ubi & alia ejusdem Janotii ad eundem Alfonſum de laudibus pacis Neapoli recitata. Curavit

vit præterea nobis Philologus Alexander Braſſicanus ejusdem Jannotii Libr. IV. de hominis dignitate & excellentia Baſileæ per Cratandrum excudi an. 1532. Atque utinam, inquit Naudæus, reliqua tanti Viri opera, quæ a Poſſevino larga titulorum ſerie referuntur, excuſa pariter fuiſſent! Plura de eo qui volet, adeat Bocchinum in Clarorum Virorum Florentinorum Elogiis & Labbeum p. 237.

Jo. Matthæus Caryophilus Gennadii Patriarchæ Conſtantinop. defenſionem pro V. capitibus Concilii Florentini in vernaculam Græcorum linguam convertit. Excuſa eſt Romæ in 4. typis ſacræ Congregationis de Fide propaganda. Idem Epiſcopus Iconicenſis ſcribit confutationem Nili Theſſalonicenſis de Primatu Papæ: præterea confutationem Pſeudo-Chriſtianæ Catecheſeos edit. a Zacharia Gargano: it. cenſuram Confeſſionis fidei Calvinianæ, quæ nomine Cyrilli Patriarchæ CP. circumfertur: Græca literali & vernacula Græcorum lingua, itemque Latina: it. Monodiam de calamitatibus Græciæ, carmine politico, ſermone vernaculo Græcorum: denique demonſtrationem errorum in Diſp. Za-

chariæ Gargani & Palamæ de proceſſione Spiritus S. contentorum.

Joſephus Licetus, Genuenſis Medicus & Profeſſor, Fortunii, Liceti, magni Philoſophi parens, Dialogum & Genitalium uſu & dignitate Etruſco idiomate evulgat, in quo de anima ſeminis nonnulla differuntur, teſte Fortunio Liceto in de propriorum librorum hiſtoria, hiſtor. I. p. 6. Idem filius parentem ſuum defendit contra quendam, ſub Medici Caſtrenſis nomine latentem, qui in Dialogo multa imprudentius dicta carpebat, ſcripto ſingulari, ſub tit. Athos perfoſſus ſeu Rudens Eruditus in Criomixi Quæſtiones de Alimento Dialogus prior ad Cl. Virum Jacobum Gaffarellum.

Manethon Sybennita, Sacerdos Ægyptius, quem ante tempora Alexandri, quicquid dicat Scaliger, in Ægypto floruiſſe comperio. Siquidem illius crebram mentionem facit non ſolum Joſephus contra Appionem, ſed & Hebræi libro Juchaſin, eumque veluti antiquiſſimum ſcriptorem & fide digniſſimum citant, ita ut & Arabum quoque ſcriptis is irrepſerit. Jochaides quoque in ſuo Zohar hujus mentionem facit, quoties de Regi-

Regibus Ægypti ſermo eſt, hiſce verbis: Manethon in Hiſtoria Regum Ægypti, vel etiam Manethon in Libro Actorum Regum Ægypti. Fuerunt autem duo alii hujus nominis auctores Ægyptii, unus Manethon Mendes, ſacerdos & ipſe Ægypti, qui ſcripſit, quomodo præparandi ſint Cyphi ſeu ſuffimigia. Suidas: Μανεθὼς μένδης, ἱερεὺς Αἰγύπτιος. Ἔγραψε περὶ κατασκευῆς κυφίων. Alter citato Suida teſte: Μανεθὼς ἐκ Διοσπόλεως τῆς Αἰγύπτου, ἢ σεβεννύτης Φυσιολογικὰ, ἀποτελεσματικὰ δι ἐπῶν καὶ ἄλλα τινα ἀστρονομούμενα. Manethos ex Dioſpoli Ægypti ſcripſit Phyſiologica, Apoteleſmatica verſibus, & alia quædam aſtronomica. Hujus monumenta in Magni Ducis Hetruriæ Bibliotheca conſervari audio, atque hic eſt, qui temporibus Auguſti vixit. Unde multi decepti æquivocatione nominis hunc cum veteri illo noſtro Dynaſtiarum Ægypti compilatore confuderunt. Hic autem hiſtoriam Ægyptiorum Regum breviſſima deſcriptione complexus in XXXII. dynaſtias ſeu principatus digeſſit, quarum XV. utpote ex hominum memoria una cum diluvio delatas omiſit: cæteras XVII. ex monumentis Ægyptiorum depromtus, ea qua potuit fide & diligentia deſcripſit. Ex quo Africanus

pleraque ſua hauſit, uti & Euſebius Pamphylus & Joſephus contra Apionem, ex quibus deinde reliqui auctores Chronologi ſua pleraque decerpentes, & Manethonem in varia diſcerpentes, ita varie interpretati ſunt, ut multi tanta confuſione perplexi, de veritate Dynaſtiarum aut fide etiam auctoris dubitarint. Kircher. Oedip. Tom. I. Syntagm. I. Cap. IX. p. 68. ſqq. Oſtendit ibidem laudatus Kircherus ex Iſmaele Sciahinſera Arabe, ab Arabibus in ſua Chronologia tot ante diluvium Dynaſtas ſeu Reges poni, quot Manethon omiſerat, videlicet XV. p. 74. ſq.

Scipio Claramontius Cæſenas Eques, & Philoſophiæ olim Profeſſor in Academia Piſana, naſcitur A. 1565. Rerum Mathematicarum peritiſſimus multa & præclara opera edit, præcipua tamen hoc ſeculo currente, quorum catalogum videre poteris apud Jo. Bapt. Ricciolum S. J. in Chronico præfixo Almageſto ſuo. Ejus hypotheſes perſtringuntur in Tr. de terra unico centro motus, Fortunii Liceti.

Tages. A Tagete in agro Tarquinienſi ſacra & ceremonias didicere Hetruſci, unde omnes Romani ſumſerunt, teſte Cicerone in Orat. contra P. Clodium. vid. Oli-

Oliver. & Coler. in notis collectis a Thyſio ad L. I. 1. Valer. p. 5. 6. Si tacta publica de cœlo tacta erant, majoribus hoſtiis expiari oportebat Deos: locus ille Bidental dictus, atque ſacer habebatur, ac certis ceremoniis prout libris figuralibus Tagetis & aliorum Etruſcorum continebatur, ſacra eo loci fiebant. Vid. Salmaſ. in Solinum p. 1142. Etruſcas diſciplinas Tagetis & Baccheditis XV. Volumin. explicaverat etiam Labeo, teſte Fulgentio cit. Colero l. c. Hæc ſpeciminis loco ſufficiant.

VII.

Julii Cæſaris Scaligeri Epiſtolæ nonnullæ ex MSto Bibliothecæ Zach. Conr. ab Uffenbach. *(a)*

I.

Carolo Sevino.

MAllem te iſto otio caruiſſe, quod tibi ſuppetebat ad ſcribendum, quum otii tibi non ſatis eſſet. Nam cum nihil mihi gratius facere poſſis, quam ſuaviſſima

(a) Quas hic tecum communico ex incomparabili Illuſtris Uffenbachii theſauro epiſtolico, vel Regibus invidendo (LXXI. enim Tomis epiſtolarum MSS. & maximam quidem partem αὐτογράφων Bibliotheca ejus, tot inſuper aliis κειμηλίοις inſtructiſſima ſuperbit, connumeratis XII. ſpiſſis earum, quæ ad ipſum laudatiſſimum Poſſeſſorem datæ ſunt, voluminibus) Jul. Cæſaris Scaligeri litteras, nitidas & elegantes, Vir quidam doctus in Belgio editioni Epiſtolarum & Orationum Scaligeri, quæ ex officina Plantiniana per Chriſtophorum Raphelengium A. 1600. in 8. prodiit, manu ſua adtexuit notavitque, ex iisdem ſuppreſſiſſe aliquot Joſephum filium, quod exiſtimavit, eas eſſe amarulentas nimis. Reliquas in VII. hujus opellæ faſciculo exhibebo. Cæterum vide, ſi placet, quæ diximus Parte II. p. 382. ſq.

ſima oratione tua fallere eas curas, quibus pene perpetuo fato me oppreſſum non ignoras, & tu magnam capias, ut re ipſa præ te tuliſti, voluptatem, ſi quo in ſtatu rerum mihi benefacere poſſis & me votis meis deſtituiſti & tu tuo officio defuiſti: quorum utrumque cum tibi grave eſſe debuit, tum me ita ægre affecit, ut dubitarem, tædione itineris, an abſentia, quæ memoriam rerum delere ſolet, an alio quopiam eventu, animum mentemque mutaveris, an malis eloquentia experiri, quid poſſis culpam excuſando, quam uti ſermone de medio ſumpto, & familiari, ut ea ipſa culpa careres. Hoc ſi ita eſt, mallem te nihil ſcripſiſſe, ut graviori crimine accuratius te purgare cónareris. Poteris & illud addere, me ſatis occupatum tuorum librorum muneribus ne me epiſtola diutius morareris. Sed eorum lectionem me jamdudum abſolviſſe ſcito, in qua multa cognoviſſe, operæ pretium ſane fuit. Duos tantos viros tam de gravi re diſceptantes videre, ac propius agnoſcere, id vero lucro apponi debet. Alter pro religione, alter pro ſe ipſo, uterque juſta acie, non epiſtolâ decertare videtur. Totus cauſæ ſtatus conjecturalis. Collegit enim Carpenſis multis

tis argumentis rivos ab Eraſmi fonte manaſſe. Totus ſtilus nobilitatem ipſius oſtendit atque probitatem. Orationem elegantem intelligas & luculentam, ſatis validam; ſed inprimis doctam, nequaquam tamen numeroſam, neque Ciceronis verbis adſtrictam; ſed placido atque tranquillo tractu fluentem. Atque etiam ubi aſſurgit, animi ſui moderationem nuſquam defraudat, aut fruſtratur. Alterius oratio numeroſior: cola & commata & periodi inter ſe cohærentes: nihil inane, nihil hians. Multa tamen non diluit, aut non ſatis cavet, augetque ſuſpicionem multis in locis, quam a ſe depellere adgreſſus eſt, tamquam fovens multa crimina tacite, quæ illi palam objecta ſunt. Hæc omnia cum pro meo judicio examinarem atque perpenderem, venit mihi in mentem, quod tibi pollicitus fueram, me effeciſſe. Reſpondi juſta Oratione ad Eraſmi dialogum, quo adverſus Ciceronis nomen minus æquus rerum exiſtimator viſus eſt, ſimul atque diſceſſiſti, atque erat otium a ſævitia tempeſtatis, quæ me tam anxium habuit. Mutuatus ſum de L. Claudio noſtro dialogum illum, tribusque continuis diebus nihil egi præterea. Neque prius abſtiti, quam totum negotium

tium confectum reddidiſſem. Jam Pariſios mittam ad Collegia, quorum moderatores atque adoleſcentes judices conſtitui, quorumque ſtomacho edatur aut aboleatur. Eam ad te prius miſiſſem, ſed ſcio mihi in præſentia nullum amanuenſem eſſe, cum tam diu ex Italia expectando fruſtra fui: Si eam edendam curabunt, tu quoque eo in negotio partem habebis: ſin illis minus digna videbitur, quod tam obſcuro titulo tantum auctorem attentarit, jam tum mecum præclare agetur, qui tantam tuam cenſuram ſubterfugerim. Libellus Epigrammatωn multo mihi jucundiſſimus fuit, eumque pro receſſu hortorum, qui mihi propter hiemem interceptus eſt, habui. Conjux tibi perpetuam ſalutem optat. Vale. Idib. Decembr. Anno MDXXIX. Lugdun.

Si quid novi intellextin'?

Julius raptiſſime cœnaturus.

2. Julius

2.

Julius Cæſar Scaliger Rectori Univerſæ Academiæ Pariſiorum.

SI mihi notiores eſſent ii, qui, novam provinciam ut capeſſerem, coëgerunt, quam vobis ſunt, Magnifice Rector, altera jam mihi erat texenda oratio, qua alterius præſtantiam, alterius improbitatem explicarem. Sed cum ita Civitas veſtra atque univerſa Gallia multis jam annis veram eloquentiam ex Italiæ incendiis una cum cætero ſcientiarum orbe profugam receperit, atque foverit, ut alteræ Athenæ merito Lutetia cenſeatur, quam notus vobis ſit Cicero, vel aſſiduis lucubrationibus veſtris facile oſtendiſtis: cujus elegantia atque probitas orationis adeo ab iſtius urbis ſtudioſis expreſſa eſt, ut jam inveniant, qui ſeſe imitentur. Eraſmus autem Roterodamus ſuperbia atque arrogantia veſtris cum virtutibus contendere cum inſtituiſſet, maluit invidere tam honeſto gentis veſtræ propoſito, quam aut ſuperare, quod deſperabat, aut æquare, quod inſolentiſſimus indignum ducebat, præſertim cum ea tela, quæ

quæ per alienam perfidiam in religionem furtim intorſerat, veſtra fortitudine & prudentia in ſe palam retorta, ferre non poſſet. Itaque ab ea impietate detruſus, quoniam alicui Deo ſemper infenſus eſſe vellet, convertit tumultuantem adhuc rabiem in tuos milites, & nunc infandis colloquiorum argumentis lacerando, nunc epiſtolis inceſſendo, nunc ineptis titulis inſectando, totam Pariſiorum Academiam vexavit. Neque id ſatis habuit, ſed veſtræ eloquentiæ, qua præſtantiſſime jam polletis, * ducem illis ſubtrahere conatus eſt, ineptis cujusdam dialogi, qui mendaciis ac fictis criminibus aliis

Reliqua deſiderantur.

3.

Julius Cæſar Scaliger Studioſis adoleſcentibus Collegii Navarrenſis

S. P. D.

OPeræ meæ a pietate & a veſtrum ſtudio atque amore mihi impoſitæ ratio-

* i. e. Ciceronem.

tionem reddidi Moderatori veſtro per epiſtolam. Quamobrem non amplius repetam; ſed inde vos petere poteritis. Reſpondi perpetua oratione Eraſmi dialogo, qui virulentiæ aciem, quam in ſtudioſos eloquentiæ intentarat, veſtris auſpiciis hebetatam, quoniam maledicentiſſimum ingenium nequibat conquieſcere, in eloquentiæ patrem patronumque Ciceronem vertit. Quo in Dialogo quantum finxerit fabularum, quanta ſit mentitus, qua inſcitia frequenter lapſus ſit, ſerio opinor, oſtendimus, tametſi minus elegan-ter. Quoniam igitur venire non potui, ut coram judicio ſiſterem me, miſi ad vos exemplum orationis ipſius veros atque incorruptos Judices: qui ſi conatui huic meo favebitis, excitabuntur, ut ſpero, cæteri ſtudioſi ad laborandum veſtri gratia, exemplo meo, ut quoniam literæ, quæ interibant, veſtro ductu reviviſcunt, non ſolum ab injuria temporum, & bellorum incendiis liberentur, ſed ab invidiſſimo calumniatore vindicentur. Turpius enim eſt rem jam partam amittere, atque conſtitutam aboleri, quam deſideratam adquirere non poſſe. Hoc enim imbecillium virium eſt, illud autem etiam vitioſi atque ceſſantis animi. Quare vos, quo-

rum

rum ope atque opera omnes bonæ artes reſurgunt, atque robuſtæ jam extant, nolite eas per audaciam atque ſcelus invidorum interire, & qui Patres veſtros virtute, ductuque atque auſpiciis Moderatorum veſtrorum, eloquentia ſuperaſtis, date operam, ne per deſidiam atque metum a maledicentiſſimo calumniatore intentatum, eam laudem amittatis: eamque, quam fato quodam ab Italiæ calamitatibus præripuiſtis, videte, ne a vobis calumnia labefactatis barbaræ nationes præreptum veniant. Valete.

4.

Julius Cæſar Scaliger illuſtri Collegio bonorum infantium

S. P. D.

NOminis veſtri ſplendor atque probitatis multo plus potuit, quam quantus pudor aut virium conſcientia in me eſſe debebat. Nam cum magnæ jam authoritatis Vir Eraſmus adverſus eloquentiæ Principem, rabiem potius quandam, quam judicium exercuiſſet: Quod ad meam u-

tilitatem attinebat, ſatius erat, non auſcultare tam delirum calumniatorem extra eam tempeſtatem : tamen ſedentem me atque inſpectantem vos nobiliſſimæ indolis adoleſcentes, eo naufragio periclitantes, ſine jactura boni nominis quis ferre potuiſſet? Malui igitur & audacia doctos viros, quibusque id provinciæ aſſumendum erat, & pietate erga veſtra ſtudia cæteros ceſſantes anteire. Qua in cauſa effecerimne, quod ſpero; veſtri id erit judicii. Certe amorem meum ac potius caritatem erga vos nulla umquam delebit oblivio: quem amorem nullo pretio emptum, nullo præmio paratum, nulla ſpe conciliatum vos æqui bonique conſultores mihi perſuadeo, qui periculum nominis mei cum eloquentiæ veſtræ diſcrimine commune habere minime dubitavi. Quod ſi non ingratos labores meos eſſe vobis ſenſero, dabo operam, ut multi libri veterum monumentorum, qui nunc mihi cuduntur, munus extremæ manus veſtro nomine conſequantur. Valete.

Lugduni XIV. Kal. Febr.

5. Ju-

5.

Julius Cæſar Scaliger Studioſis adoleſcentibus Collegii montis acuti

S. P. D.

SI cujuspiam ſtudium aut diligentiam extare umquam interfuit Reipublicæ literariæ, qui ita ſe compararet, ut quam attentiſſimus eſſet ad navandam operam eloquentiæ, quæ materia quaſi quædam materque omnium bonarum artium judicata eſt: multo abſurdiſſimum atque illiberaliſſimum facinus feciſſe mihi videntur, qui eam, cum adipiſci poſſent, neglexerunt. Gravius vero adhuc ab iis admiſſum eſſe in publica commoda, qui eam inſolentius inſectati ſint. Illis enim infantia, quam ſecuti ſunt, pro ſupplicio fuit: ſatisque pœnarum dederunt ſuæ aut ſtultitiæ, aut pravitatis. Atqui alios quoque ab ejus ſtudii honeſtate deterrere conantur, tanto magis deteſtandi ſunt, quanto latius ea lues ſerpit. Cum igitur Eraſmus veſtro nomini infenſus, quorum luculentiſſimis judiciis damnatus eſſet, eam eloquentiæ gloriam, quam ab incendiis bellorum vindicaſtis, invideret; maluit ducem veſtrum M. Tullium inſectan-

do, reddere gratiam, quam ſanis veſtrorum Moderatorum aſſentiri caſtigationibus. Ego igitur, qui omnia cogitationum mearum momenta ad publicam utilitatem ſemper contuliſſem; tametſi arduum erat, inprimis tanto calumniatori reſpondere: tamen tanto poſt tempore, tam nobilem cauſam, deſidiane an expectatione proditam, incertum eſt, audacius ſuſcepi fretus veſtra benignitate, quorum ope nequaquam deſtitutus videor, pro quibus vel conatu hoc ipſo tantum laboraſſem. Valete.

6.

Julius Cæſar Scaliger Studioſis adoleſcentibus Collegii Pleſſiaci

S. P. D.

ETſi ſatishabere poteram, ſi vos inepta & prolixa nimis oratione diutius detinuiſſem: tamen ne quis veſtrum officio meo præteritus videatur, auſus ſum etiam epiſtola teſtari, quod ipſa in oratione profitebar. Communem meum in vos amorem, veſtrorumque erga Rempublicam literariam magnitudinem meritorum, quibus excitatus ſum ad id oneris ſubeundum;

dum; quod pertinere maxime arbitrabar ad communem ſtudioſorum omnium dignitatem. Cum enim Eraſmus veſtrum Moderatorum acerrimis judiciis irritatus, univerſo nomini Gallico infenſus vehementer eſſet, eloquentiæ veſtræ Principem M. Tullium, ne non aliqua ex parte vos laceraret, veſtrisque ſtudiis officeret, ita vexare adortus eſt, ut ſe ipſe, qualis eſſet; quam quis eſſet Cicero, apertius oſtenderit. Cum enim per totam Italiam atque univerſam Germaniam etiam doctis perſuaſum eſſet, relictis ambitioſæ locutionis anguſtiis, ope veſtra, Ciceronis lucem eloquentiæ candori reſtitui, eas inſtituit in illum præſtantiſſimum virtutis virum jacere contumelias, quæ ad maximam ſpectatiſſimamque omnium ordinum veſtrum partem convenirent. Quamobrem ego, qui ab incunabulis iſtas Pariſiorum illuſtres atque admirabiles Academias ſemper parentum loco habui; non potui diutius me continere, quin pro virili eam injuriam, quæ nobis per illius invidentiſſimi hominis petulantiam factum itur, quam acerrime propulſarem. Id quod an perfecerim, non eſt in animo ad vos perſcribere, quos Judices mihi conſtitui, quorum cenſuræ tantum acquie-

ſcendum mihi cenſui, quanta animi propenſione laboravi, ut veſtris commodis maxime ſtuderem. Valete.

7.

Julius Cæſar Scaliger ſtudioſiſſimis adoleſcentibus Collegii Divæ Barbaræ

S. P. D.

QUæ aliquot aliis collegiis ſcripſi ſuper oratione, qua Eraſmo reſpondi pro Cicerone, ea non eſt in animo vobis loquacius repetere, ne florentiſſimis ſtudiis veſtris obſtrepam. Sed unum id tantum vos ſcire velim, quidquid umquam otii aut commodi in me fuerit, id omne ad communem ſemper uſum comparaſſe. Quamobrem cum diuturnæ operæ meæ in literis aliquot, non indoctos homines minus pœniteret, quam cauſam alii aut deſtituiſſent, aut deſperaſſent, tuendam ſuſcepi. Non enim uni Ciceroni maledicit Eraſmus; ſed vos quoque, quos ſcimus omnium bonarum artium fautores, inſectatur, infenſus toti nomini Gallico: ſive quod id Germanis peculiare fuit, ſive quod eam gloriam præreptam ſibi ægre tulit, ſive quod religionem noſtram lacerando, meri-

meritus eſt, quem Moderatores veſtri publice damnarent. A quo impetu cum retardatus eſſet, neque tamen nollet inſanire, oſtendit, illo dialogo, quam nequam ſemper eſſe voluerit. Cum igitur inter cætera Collegia veſtrum ordinem inprimis illuſtrem accepiſſem, miſi ad vos exemplum orationis meæ, in qua ſi magnitudini nominis veſtri, ſi expectationi, ſi cauſæ amplitudini non reſpondi; æquum eſt, mihi vos ignoſcere tanto magis, quanto majore periculo tam egregium facinus auſus ſum, obſcuræ famæ homo, & impolitæ eruditionis, quam ſi vir quispiam maximus fuiſſem. Valete.

8.

Natali Bedæ.

SI magnorum Regum majorumque noſtrorum vetera ſequeremur exempla, Vir doctiſſime, multo præclarius ageretur nobiſcum, quam nunc agitur. Cæterum poſteaquam noſtræ ſortis immemores, pœnæ metu contemto, quæ nulla intentatur, fœdiſſimum quodque audemus, oſtendimus poſteritati pravitatem noſtram, cujus exemplo aliam vitæ ſuæ inſtituant rationem. Sublata namque ra-

bioſæ licentiæ conſuetudo, qua veteris comœdiæ chori laceſſebant impune, nobis indicabit, quam illiberale facinus eſſet, vel in flagitioſos dirigere aciem ſermonis noſtri. Quibus veſtigiis maximus Vir bonarumque artium ſtudioſiſſimus Ptolomæus Philadelphus ingreſſus in Zoilum Macedonem, qui nefandi nominis gloriam ex Homeri calumnia quæſiverat, adeo ſevere animadvertit, ut memoriæ proditum ſit, ejus juſſu fame necatum eſſe. Quin ſcripſerunt alii, ob eandem cauſam cruci affixum, alii lapidibus obrutum, Homeri manibus nocentiſſimo ſanguine parentaſſe. Hujus exempla virtutis, doctiſſime Beda, utinam noſtra tempeſtate in eos, qui majoribus flagitiis cooperti ſunt, ederentur, multo acrius animi noſtri vim intenderemus, ut præſtantiſſimorum virorum ſimiles evaderemus. Quorum virtutem, jam ad id res rediit, ut Eraſmus maledictis inceſſendo, laudem ex eo nefario facinore apud nocentiſſimum ſemiliteratorum vulgus captaret. Qui non ſolum impune fuerit, religionis noſtræ lumina extinguere, divina cantica ſupremi Spiritus numine perfuſa inverſis ſententiis adulterare; verum etiam ejus fallaciis jam illecti ſunt nonnulli, qui, quam quod erant,

erant, aliud esse mallent. Ita præstantissimâ humanâ naturâ neglectâ, immanissima monstra facti sunt. Adeo in præcipiti cum omne vitium staret, atque hoc unum, quod maximum atque fœdissimum erat, deesset, multorum jam cumulatiorem fecit vitiositatem. O cœnum, ô sceleratorum latrunculorum, qui in veram religionem nostram grassati sunt, caput? Vos majorum nostrorum manes optimi, qui pro religione nostra pejorem vitam cum præstantiori commutastis, ecquid piget nepotum vestrorum, qui mortem hanc, quam videbant, sordidiore adhuc morte coinquinarunt, quorum immanitatem ex nefando errore illo cum optumus Vir Beda retrahere tentasset, adeo ab illo laceratus est, ut sentiret, non potuisse nostrum quidpiam esse Christi hostem, quod ipsi quoque non esset, inimicum. Itaque ea tibi tela nequaquam pertimescenda sunt, quæ optimi maximi Dei nostri etiamnum sanguine intepescunt; quorum aciem tantum abest, ut metuam, ut eo uno boni Viri nomen mihi partum putem, si semel caput hoc petat. Sentiet enim excetra illa, sentiet, quale cum Hercule res sibi futura sit: qui neque rerum plena cognitione, neque orationis uber-

tate,

tate, neque alia ulla re cedat, præterquam animi pravitate. Sentiet, poſitâ clavâ, ignem jam præſto eſſe, quo tot monſtroſa capita ſint exſcindenda. Neque clam me eſt, quot ſimiorum offenſam ſubiturus ſim, quantum in me jacturi ſint calumniarum, quibus ſuperciliis vitam meam, quo ſint orationem naſo ſuſpenſuri. Quos omnes tanti facio, quanti fecerunt ipſi noſtram Religionem. Quam pro libidine ſua depravatam in febriculoſos aliquot transtulerunt Pædagogos, qui odio literarum quas neſciunt, jactant Evangeliorum rectam ſententiam cum Stoicis argumentis nequaquam conſtare poſſe. Horum improbam atque umbratilem ignaviam noſtræ tempeſtatis delicati amaſii ſecuti, ubi ſemel aliquo cum Viro docto congrediuntur, adeo muti fiunt, ut, quæ nolint, eadem, ſi poſſent, velle videri cogantur. Ita putidis illis atque languidis literulis ſtrigoſi imbecillium conſcientia virium, etiam eam eloquentiam, quæ una atque adeo unica ſemper judicata eſt, quoniam conſequi non poſſent, aggreſſi ſunt inſectari. Quarum ineptiarum quem putas alium habuiſſe ducem, quam eum, qui a veræ ſtudio religionis eosdem prius averſos habuit. Pari enim inſolentia atque

que petulantia furere orſus eſt adverſus Ciceronem, quantam impietatis aciem contra Dominum Deumque noſtrum diſtrinxerat. Itaque ego ei, cum metu cæteros ceſſantes, aut pudore animadvertiſſem pro virili reſpondi: eamque apologiam ad veſtros ordines miſi, qui de novis veſtris ſuffragiis judicium daretis. Cum igitur aliquot Collegiis privatim, cæteris autem omnibus una epiſtola ſuper ea re ſcripſiſſem, elegi te præter multos, quos ſuſpectos habebam, virum ſcientiæ & vitæ integritate præſtantem, cujus fidei atque probitate orationem meam commendarem, ut ſi forte probiorum æquanimitas ob publicam utilitatem, quam ex ea ſperent, imprimendam cenſeant, ne alia pro alia vox ſupponatur, neve quid intervertatur, neve majora amanuenſis mei errata videantur, quam ut veſtris innocentiſſimis judiciis emendari poſſint. Sic tibi cœleſtis omnis divorum exercitus faveat, defendatque tuas ſpes, hoc eſt, alumnos tuos, ne peſſimæ illius labis notis eorum animi commaculentur.

9. Col-

9.

Collegiis omnibus.

DEploramne cauſam veſtram, optima atque nobiliſſima Collegia adoleſcentum, quorum in gratiam atque uſum defenſus a me Cicero, quem eloquentiæ veſtræ ducem habetis, intercepta oratione mea rurſus ſilentio damnatur? an meas conquerar vices, qui, cum apud vos Patronus eſſem a vobis vereor, ne reus factus ſim. Id quod cum acerbiſſimum ſit, multo magis acerbum illud eſt, quod neque, cujus veſtrum implorem præſidium, ſcio, neque, ſi ſciam, decet me ſupplicem pro vobis apud vos eſſe. Neque pro explorato eſt mihi, quem inſimulem, aut quo pacto quispiam ſit reus peragendus. Cum enim aliquot abhinc menſibus, omnibus vobis communem miſiſſem orationem, qua Eraſmiana calumnia procul a Cicerone propulſatur, privatimque ad Navarrenſe Collegium literas atque exemplum dediſſem, rurſusque nuncium meum, reſponſa ut acciperet, iſthuc deſtinaſſem, neque concilium indictum comperit, quod, cum prius recederet, polliciti fuerant, neque qui reſponſum darent, invenit, neque cum exemplar repeteret

teret ſaltem, redditum eſt. Uno ut expediam verbo, nihil hominis, nihil ſani. Et ego ſperaram pro humanitate veſtra, atque erga ſtudioſos omnes benevolentia ſumma, apud vos aut veterum merita auctorum, inter quos Cicero obtinet principatum, non obſoleſcere, aut recentiorum labores non negligi: præſertim eorum, qui cum antiquorum memoria, communem cauſam haberent. Itaque & Ciceronis nomen apud vos gratum fore, arbitratus ſum, cujus excellentem eloquentiam univerſa jam Gallia receptam a ſeſe, atque gratiſſimis præſidiis munitam exprimitis; & meum non inviſum, qui illius fortunam invidentis hominis Eraſmi ſuperbia male habitam cum mea conjunxeram ad omnium veſtrum uſum atque utilitatem. Nam quod ad me attinet, ſatis habebam ridens hominem nebulonem, qui jam erroribus ſuis minor erat, agebaturque illis magis, quam agebat. Sed quod eos edere aggreſſus ſum, quis mihi vitio vertet; ſi illi licet maledicere, quare non erit integrum mihi maledicta benedicendo refellere? Si meum nomen veſtri nominis ope tutius arbitratus ſum, quomodo minus decet, me damnare, quam vos ipſos? Aut ſi jam id licet,

cet, ſi decet, age vero, etiam ita neceſſe ſit, ut, me indemnato, Reſp. literaria conſiſtere non poſſit: quare non me condemnaſtis? quam ob cauſam non prudentior veſtris judiciis factus ſum, quos doctiores meis lucubrationibus effectos volebam? Scilicet Epheſium incendi templum. Propterea ſilentio veſtro meum nomen oblivioni dabitur. Intercepto uno exemplari, tot meorum tota monumentorum memoria mei periit: Legetur adhuc, legetur, & ſi tota Lutetia exulabit, media, in Germania, contra quam loquitur, perfectam dabo. Unius tantum rei gratia hæc ad vos ſcribo: Velim enim, certiorem me faciatis, velitisne veſtro nomine, quos judices mihi conſtitueram, eam orationem circumferri, an alio quopiam, quod jam mihi eſſe præſto ſentio: alioqui novo exemplo jam edendam curaſſem.

VIII.

VIII.

EPISTOLÆ QUÆDAM INEDITÆ (a) HENRICI ET HADRIANI VALESIORUM AD JO. ALB. PORTNERUM, Camerarium quondam & Proto Scholarcham Reip. Ratisbonenſis (b).

I.

Vir CLariſſime!

REddidit mihi literas tuas Jacobus Puteanus noſter; quæ quidem duplici nomine mihi gratiſſimæ extiterunt, tum

(a) Has humanitati Summe Reverendi atque Celeberrimi D. Guſt. Georg. Zeltneri, Præceptoris mei Optimi, debeo.

(b) De Portnero vide Celeb. Struvium in Præfat. ſecundi faſciculi Actor. Litter.

quod ex iis cognovi ſalvum te & incolumem ex longinqua peregrinatione domum rediiſſe; tum quod memoriam noſtri in animo tuo penitus defixam hærere intellexi. Memorem te profecto & grati animi virum eſſe, ex eo apparet, quod leve admodum officium, quod tibi ac ſodali tuo, dum in hac urbe eſſetis, præſtiti, tam religioſe in arcano pectoris tui conditum teneas. Dignus certe es, in quem ſumma beneficia ab omnibus conferantur, cum in habenda & referenda gratia tantam adhibeas diligentiam. *Orationem meam de laudibus Petavii* ad te mitto, quæ, ut credo, magis argumento ipſo, quam ſcriptoris merito, tibi placitura eſt. Si quid apud vos novi cuditur in re literaria, rogo, ut me viciſſim certiorem facias: ſimulque tibi perſuadeas, nihil eſſe, quod non ego tua cauſa libentiſſime ſim facturus. Magni enim facio ſingularem virtutem Tuam atque doctrinam, & cum hujusmodi viris amicitiæ fœdus jungere maximum lucrum puto. Itaque conditionem, quam mihi contuliſti, non amplector modo, verum etiam ultro ambio, ſic tamen, ut omnia inter nos ſunt paria. *Eſt enim ejusmodi lex amicitiæ*, quemadmodum noſti, *ut pares aut accipiat, aut faciat.*

faciat. Vale igitur Vir CL. & me ama, teque viciſſim a me amari pro certo habe.

Lutetiæ Pariſiorum. XI. Cal. Jul. MDCLIII.

Tuus ex animo
Henricus Valeſius.

2.

Ampliſſime & CL. Vir!

REcte & omnino de amicitia noſtra judicaſti, qui ita cenſueris, nos, qui prioribus literis tuis nondum reſponderamus, non oblivione nominis tui id præſtitiſſe, ſed caſu aliquo aut literariis occupationibus diſtrictos a ſcribendo ceſſaſſe. Quomodo tui nos oblivio capere poſſet, hominis amiciſſimi atque amantiſſimi, quem unum ex omnibus Germanis, qui quidem ad notitiam noſtram pervenerunt, præcipue mirati ſumus, tum ob præſtantiam ingenii, tum ob eximiam doctrinam, modeſtiam, humanitatem. Itaque quod ille apud Homerum de Ulyſſe dixit

Πῶς ἄν τοι ὁ δυσῆ& ἐγὼ θείοιο λαθοίην

Imo vero potiori jure, quam ille. Uni

enim homini facile obrepit alterius oblivio. Fratribus vero, qui in iisdem ædibus, eodem in cubiculo degunt, iisdemque ſtudiis occupati ſunt, non tam facile id contingit: cum ſi alter forte communis amici oblitus ſit, alter præſto ſit, qui memoriam ejus refricet. Sic igitur de nobis habe, nos, quamvis ſtudiis literarum penitus addicti atque immerſi ſimus, tamen amicorum abſentium memoriam conſtantiſſime fovere ac retinere, eorum proſperis rebus atque incrementis, eorum literis ac nuntiis delectari. Quam ob rem maximam animo capimus voluptatem, cum ex prioribus literis Tuis cognovimus, Te V. CL. in Senatorium ordinem allectum fuiſſe. Quam dignitatem, cum tu in primo ætatis flore conſecutus ſis, non ſine cauſa auguramur, gradum tibi ad majora eſſe futurum. Nos interea, quid agamus, quando tibi curæ eſt, accipe: *Euſebii noſtri interpretatio cum notis*, jam dudum abſoluta eſt, ſpero me propediem acturum cum Typographo de ejus editione; idque ex conſenſu Antiſtitum Cleri Gallicani. Eodem tempore edetur typis, ut ſpero, fratris hiſtoria. Nam Cramoiſius Octobri menſe editionem ſe aggreſſurum eſſe, promiſit. Prorſus difficilli-

cillimum apud nos eſt nanciſci typographos, cum nugæ vernaculo ſermone ſcriptæ avidius ab his appetuntur, quam Latini aut Græci libri. Adeo non apud vos ſolum, ut ſcribis, ſed hic etiam ſtudia frigent. Quo magis eniti omnes atque elaborare debemus, ut literas pene jam ruentes in præceps, quantum in nobis eſt, ſuſtineamus. Vale, Vir Ampliſſime, & nos ama. Pridie Idus Auguſtas MDCLV.

A. T. addictiſſimi fratres
Henricus & Hadrianus
Valeſii.

3.

HADRIANUS VALESIUS JOH. ALBERTO PORTNERO,

Viro CLmo & Illuſtri,

S. D.

MIratus es fortaſſe non ſemel diuturnum ſilentium meum, Vir CLme, & promiſſi ſupremorumque verborum me

parum memorem exiſtimaſti, qui te revertentem in patriam ac valedicentem ultro ad commercium literarum invitaverim. Sed miraberis magis, poſtquam intellexeris meum ſilentium non alii, quam tibimet ipſi imputari oportere. Qui tandem inquies, aut qua ratione aliena in me culpa conferri poteſt, cum tres ad vos ſcripſerim & vix unam a vobis epiſtolam extuderim? Nimirum dum unam ad me fratremque epiſtolam mittis & duos parietes eadem fidelia dealbas, factum eſt, ut altero alteri curam reſcribendi delegante diu ambo ceſſaverimus. Accidit enim, neſcio quomodo, *ut quæ multorum ſunt communia, a ſingulis negligantur.* Hinc natum apud vos proverbium: *aſinum, qui famulorum uſibus deſtinatus ſit, peſſime omnium ſterni conſueviſſe.* Quare melius cautiusque faceres, ſi alternas nunc fratri, nunc mihi ſcripſeris, ne quandoque iterum querare, tui nos oblitos eſſe. An ego poſſim obliviſci Portneri mei, qui me amat, laudat, amplectitur immerentem; cujus humanitatem, ſuavitatem morum ac doctrinam novi; quem (ita me DEUS adjuvet,) nonnunquam abſentem deſidero? Unum peto a Te, ut quoties de nobis loqueris aut ſcribes, laudibus parcas, nec de noſtris

noſtris occupatiunculis opuſculisque tam ſublimiter, de te vero rebusque tuis tam demiſſe ſentias ; quod ipſum a ſingulari tua erga me benevolentia proficiſci intelligo. Pergratum eſt mihi, quod diligenter de veſtrorum operibus ſcribis, imprimis de *Hermanno Conringio*, Medico & Philoſopho, cujus ego diſſertationes (ſi jam tamen Lutetiam delatæ ſunt) avide ſum lecturus, præſertim ultimam de finibus Imperii Germanici, in qua mentionem mei factam dicis. Nam ut ſcis ipſe, hiſtoriam efflictim depereo, & notitiam antiquitatis libentius, quam elegantem puellam amplector ac deoſculor. De Joh. Henr. Bœclero, qui poſt Scaligerum in Manilio præſtiterit, & unde Hiſtoriam Germaniæ ſuæ ordiatur, non nuntias. Ut te remunerem quam ſimillimo munere, accipe nunc non jam Danâum inſidias, ſed noſtrorum nugas. *Capellani Johanna* illa XXV. aut XXX. annorum, opus, nec dum tamen tota editur, ſed dimidia ex parte, & velut umbilicotenus, credo, ne inferiora caſti lectoris aut pudicarum fœminarum oculos offendant. *Menagius* ab Italicis ad Francica convertitur, iterum forſitan a Francicis ad Italica revolvendus & poſt editos ſuos

in Amyntam Commentarios, obſervationes *in Malaherbium* Poëtam Rhythmicum noſtrum vulgare parat; alteram etiam nobis editionem minitatur carminum ſuorum. Quid plura? *Verſus facit, nec viris modo, ſed etiam principibus fœminis legit*, omnibus denique artibus id agit, ut (alia tamen ratione, quam Agathocles) apud utrumque ſexum famoſus ſit. Interea frigent viri docti, frigent bonæ artes, Græca ac Latina deſpiciuntur; jacet hiſtoria; non tamen animum deſpondeo, ſed ſero arbores, alteri ſeculo profuturas. Spero poſt XV. menſium tædia anno demum novo mihi prælum vacaturum. Sunt &, qui me hortentur, ut Carmina mea publicem: quod forſitan ſum facturus. Frater meus conventum Epiſcoporum, qui brevi Lutetiæ habendus eſt, exſpectat. Hi ſtatuent, a quo Euſebium edi velint, ſuisque ſumtibus rem conficient. Launæus, quid agat ſcire difficile eſt; nam ne tum quidem, cum aliquid edendum curat, edere vult videri. *Dum hæc ſcribebam, Gaſſendus Philoſophus ac Mathematicus clarus in paucis, ſapientia ac ſuavitate morum nemini non amabilis animam, agebat bimeſtri febre conſumtus.* Sed ut ad Te revertar, quid moliris? quid meditа-

ditaris? an uxorem duxiſti? Nihilnè apud vos? nihil apud finitimos novi? ne litteræ rerum vacuæ mittantur. Cantarellus, Faber, Launæus, Menagius, fraterque meus te ſalutant. Patronus fiſci Bignonius aquas Burbonenſes petiit, dum podagræ ſuæ lenimentum aliquod magis quam remedium quærit. Vale Vir CL. & me totum tuum puta. Lenzio Viro CLmo, affini tuo, ſalutem a me plurimam dices. Iterum vale. Data Lutetiæ Pariſiorum XIII. Kal. Nov. Anno 1655.

4.

HADRIANUS VALESIUS JOH. ALBERTO PORTNERO,

Viro Ampliſſimo & Clariſſimo Reipublicæ Ratisbonenſis Conſiliario,

S. P. D.

CL. Vir!

VEreor, ne diuturnum ſilentium meum in malam partem acceperis, & (quod

jam ſemel tibi accidiſſe ſcribis) omnino litteras meas deſperaveris. Equidem magis amicorum meorum bonitati ſoleo confidere, & in eis excuſandis ingenioſus ſum, etiam ſi quam culpam negligentiæ deſidiæque commiſerint. Quod idem invicem facere eos convenit, nec unquam de me male opinari, aut ſi peccaverim pœnitentiæ mutationisque ſpem abjicere. Tu igitur, Vir optime, perſuaſiſſimum habe, ut tibi ſerius reſcribam, aut ut muter, obliviſcarque tui, nulla ratione poſſe contingere. Stupes forſitan, dum hæc legis, & me, qui veniam petere debeam, ſubiraſci tibi putas. Ego vero nemini iraſci conſuevi, nedum amico, nedum inter amicos tibi, quem & plurimi facio, & omnibus exteris amicis ac familiaribus meis unum facile antepono. Quod autem in tuis & ad fratrem, & ad me epiſtolis jocans ſcribis, te in mittendis ad nos litteris præſcriptum meum ſecuturum, plane conſilium meum non fuit, tibi tanto & tam conſummatæ prudentiæ Viro, quicquam præſcribere, aut (quod de ſue dicitur) Minervam docere; ſed eam excogitavi rationem, quam tu ſi probares, ſequi poſſes. Nam *inter duos fratres in eadem habitantes domo*, eisdem dedi-

deditos etiam ſtudiis, ſi non lites, ſaltim *friguſcula* ac ſilentia aliquando oriuntur, & eorum, quæ utrumque ſcire oporteat, notitiam alteri eripiunt, interdum & ambobus. Præterea, ſi unus duorum nomine ſcribat, communia & ad ambos pertinentia ſcribere cogitur: ad propria, peculiaria, ac veluti ſua deſcendere, niſi turbato rerum ordine, vix poteſt. Quanquam ea vi parum profectum forte dices, & ne ſic quidem crebriores te a me literas accepiſſe. Qua de re queri, ut ſpero, deſines, cum intellexeris, me uno tempore duobus prælis urgeri ac premi. *Hiſtoria* enim *Francica* tandem aliquando *editur*. *Carmina noſtra* emendanda, recognoſcenda, ac typis præparanda fuere, quæ brevi, ni fallor, *edentur*. Nec interea lectitare opera noſtrorum recentia ſuperſedeo, inprimis Capellani Virginem Aurelianenſem, & quæ in eo carmine reprehenſa pauca & levia e plurimis atque graviſſimis. *Michaelis Marolli*, Abbatis Villapuſenſis, *de vita ſua* Commentarios *haud injucundos*; *Franciſci Hedelini*, Abbatis Albiniacenſis, pro *Heavtontimorumeno* in Ægidium Menagium *diſſertationes* duas; in ejusdem Menagii Eclogam Advocati cujusdam Adoleſcentis obſervationes; præ-

præterea Caroli *Ogerii iter Danicum, Suecicum & Polonicum.* Vides ergo (ne de domeſticis rebus loquar) quam non otioſus, vel potius quam occupatus ſim, & quam facile a te abſolvi ac veniam impetrare debeam. Gratiſſimum eſt, quod de Conringio deque Bœclero nuncias. Sed catalogus eorum, quæ anno ſuperiore in Germania ſunt edita, quem literis tuis incluſeras, in manus meas non venit. Tua quippe epiſtola, poſt tres aut quatuor hebdomadas, quam Lutetiam venerat, aperta mihi eſt reddita, apparet reſignatam fuiſſe ab aliquo, qui catalogum iſtum ibi contineri acceperat, eumque legere, aut potius ſubducere volebat, quem honeſtius a me impetrare potuiſſet. *Terentium Guieti, Brunonem Launæi* noſtri fac ſciam, quæſo, *an* brevi *vulgatos opera tua ſtudioque viſuri ſimus.* Utinam per negotia atque occupationes tuas Tibi liceret *Annales Ratisbonnenſes, vel potius Radaſponenſes* conſcribere. Alius certe tota in Germania reperiri non poteſt, cui ea cura melius & convenientius, quam tibi delegetur. Quis enim terſius, quis facilius te alter ſcribit? Quis ad maximam linguæ latinæ notitiam majorem Germanicarum ac præſertim domeſticarum

rum rerum cognitionem adjunxit? Accedit vir ſingularis ingenii cum judicio defœcato conjuncta & dotes omnes, quæ eximium Hiſtoricum faciunt: id quod vel ex ſolis epiſtolis abunde intelligitur. *Elegiam Tuam de Gaſſendo* noſtro ſumma cum voluptate legi. Carmen eſt, ita me DEUS amet, elegans & cultum & divite ſed non publica vena fluens. Miratus ſum, Te, quem Poëtam eſſe non putabam, tales & tam Ovidianos verſus facere; in quibus fratris ac mei mentionem ita facis, ut me legentem, aut potius ambos pudore ſuffuderis. Ago gratias bonitati tuæ, quæ de Amicis ita Te judicare compellit, & rogo, ut deinceps laudibus indebitis & chartæ parcas, *nec me*, niſi forte per anticipationem, *Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarium & Hiſtoriographum liberaliter vocites*: *Quos titulos apud nos impudentiſſimus & indoctiſſimus quisque ac plane* ἀνιςόρητος, *ſed ſine fructu plerunque conſequitur*. Vale Vir CL. & doctiſſime, ac me, ſicut facis, amare perge. Lenzium, V. C. affinem tuum ſalvere plurimum cupio. Frater meus vos ambos ſalutat. Iterum vale. Data Lutetiæ Pariſiorum XVII. Kalendas April. Anno Domini. MDCLVI.

Ampliſſimo CLmoque Viro,

JOH. ALBERTO PORTNERO,

HADRIANUS VALESIUS

S.

CLme & Ampliſſime Vir!

LEgi *Conringii* Librum *de finibus Imperii Germanici*, in quo Philippi quidem & Johannis Valeſiorum Franciæ Regum aliqua fit mentio; mei, quod tu tamen ſcripſeras, nulla. Cujus libri titulum jure quis arguat. Nullum enim uſquam Imperium Germanicum fuit unquam, nullum eſt hodieque: nec Imperator, etiamſi in Germania ſedem habet, Germanorum Imperator eſt, ſed, ut ipſe ſe more Majorum appellat, Rex Germaniæ & Romanorum Imperator: Si tamen Romanorum Imperator vocari debet, qui urbi Romæ non imperat, & ab Epiſcopo Eccleſiæ Romanæ Romæ de Senatus populique Romani ſententia dudum deſiit conſecrari. Nihilominus Conringius impe-

imperio illi ſuo Germanico pæne ipſum Francorum regnum (ne de cæteris loquar) veluti in formulam Provinciæ redactum, aut beneficium aliquod attribuit, quod plane eſt caput pedibus, Dominos rebellibus famulis ſubjicere, cum Reges Francorum diu Germaniam, Noricum, Pannoniam & regnum Longobardorum ac Ducatum Romanum, omnia denique, quæ Imperatores veſtri poſſident, ac triplo etiam plura tenuerint, & regnum illud Germanicum, occaſione bellorum noſtrorum civilium, ſit translatum ad exteros, qui a Caroli M. familia deſciverunt. Tanta quidem nominis Francici reverentia etiam poſt translationem hanc manſit in animis Germanorum ac Lotharienſium, ut regnum Germaniæ diu ac etiam ſub Henricis regnum Francorum (nimirum Orientalium) appellaretur, nec alibi, quam in Francia, vulgo nunc Francopia dicta, videlicet Moguntiaci aut Francofurdi reges Germaniæ (veluti Conringio placet) Imperatores Majeſtatem Francicam, cui ſua omnia debent, ſugillare; quandoquidem Reges noſtri, qui in omnia Majorum ſuorum jura ſucceſſerunt, erepta eis regna armis repetere a Regibus Germaniæ juſtius poſſunt, quam Re-

ges

ges Germaniæ aliquid in Franciam Dominam quondam ſuam juris ſibi vindicare. Multa plane legit Conringius, ſed quicquid legitur, etiam tabulas, epiſtolas, pactiones tranſcribit & congerit, *magnaque de nihilo naſcitur hiſtoria.* Inprimis pag. 6. ſcribit, Francos ab antiquiſſimis uſque temporibus florente imperio Romano tenuiſſe partem Germaniæ, quæ Francia vel Franconia hodieque dicitur, qui ſi opus meum legiſſet, didiciſſet, Francorum ad oſtia Rheni & ad Oceanum ſedes tum fuiſſe, Alemannorum autem (ut Aurelius Victor in Caracalla docet) ad Mœnum in ea regione, quæ poſtea circa Pipini & Caroli M. ætatem incertam ob cauſam Francia, vel Francia Orientalis, demum Franconia dicta eſt. Idem p. 628. regionem Burgundiæ Comitatum Carolinum apud Bodinum pro Comitatu Burgundiæ accipit, errore puerili: ſed ab aliquo admonitus erratum iſtud ad calcem libri emendavit. Quod autem *ſaltim pro ſaltem* tantopere affectat, fallitur. Saltim enim πηδητικῶς ſeu ſaltuatim; ſaltem vero γὲ νὴν καὶν ſignificare vetera gloſſaria Latino Græca docent. Sed de his ſatis, quæ ne tibi rugam trahant, metuo, ne de amico tuo tibi videar male aut etiam mali-

maligne ſentire. Libellum Launæi noſtri, qui tandem vires ſuas recepit, nondum accepi, quem una cum Terentio Guieti & *Bullialdi* opuſculis exſpecto, ſed multo magis *Annales tuos*, quos brevi me viſurum dicis. Tene virum alias apertum adeo lucubrationes tuas premere, ut amici tui non primo ſciant, te aliquid ſcripſiſſe, quam illud editum legant. Quod ad urbem veſtram attinet in Itinerario, quod Antonini vocant, Regium mendoſe appellatur, pro Regnum, ſic Auguſti in 20. Regio m. 24. Abuſina 20. Ubi Regino tabula Theodoſiana, vulgo Peutingeriana ab Editoribus dicta, habet. *Inter primos hiſtoricorum noſtrorum* (ut vitam S. Emmerani omittam) *mentionem ejusdem urbis fecit Eginhardus* in rebus geſtis Caroli M. ad annum 791. Reginum civitatem, (ait,) quæ nunc Reganesburg vocatur: Quem Poeta Saxo ſequitur in Lib. III. de vita ejus Principis:

Rex autem veniens *Reginum*, quam *Reganesburg* nunc vocitant.

In annalibus Fuldenſibus a. 889. Rex Arnolphus in urbe Regino natalem Domini celebraviſſe & anno 891. urbs Epiſcopum ſuum morbo amiſiſſe ac incenſa eſſe dici-

tur: quam nunc Reganesburg, nunc Ragenesburg aut Raganisburg modo Ragenesburgum, Ragenisburg, Regenesburg & Reginisburg, modo Ragnisburg, Rainesburg civitatem Bojoariæ, Ragansburg quoque, Regnesburg & Renesburg in Veteribus noſtris annalibus appellatam eſſe reperio a flumine, ut ajunt, urbem alluente. At Monachus Fuldenſis *auctor Annalium* a Pithœo & Frehero publicatorum, quos *Fuldenſes* vocant, *primus Reginum* nuncupat, nunc Ratisbonam atque etiam Ratispanam; quæ Ratisbona vel Ratispana poſtea dici cœpta. Certe Regino, ſuppar auctor Annalium Fuldenſium ad An. 791. & 793. ac alias paſſim Ratisbonam appellat. Ex quo intelligitur, falſo, ne dicam ridicule, a Günthero Ratisbonam, quaſi bonam Ratibus vel Ratisponam, quod ibi rates ponerentur, dictam exiſtimari. Quis enim linguæ latinæ gnarus unquam eo ſenſu dixit rates ponere? aut quod unquam a ponendo nomen formatum eſt, quod in pona deſineret? Et Ratisbona, non Ratispona, appellata eſſet, ſi, qui ita vocarunt, ratibus bonam vel commodam & opportunam deſignare voluiſſent. Reginum ergo, ut videtur, poſtea Reganesburgus

ante

ante annos 850. deinde Rataspona vel Radespona, poſtremo corrupto nomine Ratisbona dicta eſt; & veterum authorum magis, quam Guntheri ratio haberi debet. Sed, quid ego Te doceo, Sus Minervam, quem non dubito omnes Annales veteres, omnia Chronica, vitas etiam Sanctorum, ſcriptores rerum Francicarum a Cheſnio editos, præſertim Tom. II. & III. ſcriptoresque rerum Germanicarum antiquos ab Urſtiſio, Piſtorio aliisque publicatos diligenter evolviſſe & urbis Regini Antiquitates a prima origine repetiiſſe ac ſcripſiſſe. Habeo inter amicos *Vionem Herovallium* publicarum rationum auditorem, virum hiſtoriæ ſtudioſiſſimum & demerendis hominibus doctis genitum, qui ſi quid tibi profuturum habeat, ultro & ſponte largietur. Hoc, ſi tamen vis ipſe, ex eo quæram & tibi mandabo. *Dominus de Sallo* in Ampliſſima Curia Pariſina Senator, amicus meus, ſcire cupit, qui ſint apud vos libri lingua germanica elegantiſſime ſcripti atque compoſiti: quos legere vult, ut linguam veſtram ac omnes ejus veneres diſcat. Id quæſo fac ſciam, virum nobilem & doctum mecum obligabis. *Paulum Chriſtophorum Forſtnerum*

commendatione tua dignum eſſe, non ex literis modo tuis, ſed etiam ex vultu ipſo ac ſermone facile intellexi. Hic ſemel nos inviſit, quem poſtea diu multumque quæſitum invenire non potui, cui meo & fratris nomine omnia tua cauſa polliceor. Vale Vir CLme, cum Affine Tuo V. CL. Lenzio. Ambos frater meus ſalvare jubet. Data Lutetiæ Pariſiorum Kalendis Julii. Anno Dom. MDCLVI.

IX.

EPISTOLÆ

Quædam ineditæ Theologi de Chriſti Eccleſia meritiſſimi B. D. PHIL. JAC. SPENERI AD JO. SCHILTERUM JCtum & Polyhiſtorem quondam Argentoratenſem celeberrimum (a).

A.

P. S.

Vir Nobiliſſime, Excellentiſſime, Domine in DOMINO æſtimatiſſime.

PRorſus opportuno tempore Tuæ mihi ante aliquot horas oblatæ ſunt, cum jam iſtas heri ſcripſiſſem, eo conſilio, ut

(a) Has mecum debes humanitati Viri Conſultiſſimi atque Eruditiſſimi D. Jo. Chriſtiani Simonis, JCti &

cras epiſtolæ ad Illuſtrem Seckendorfium iſtas & Fritſchianas includerem. Porro totum me rubore perfuderant ex tarditatis meæ conſcientia, cum præterea ex illis addiſcerem, quod aliquo reſponſi deſiderium Te tenuerit. Inprimis vero, quod te fatis Tuis narraſti, plurimum me afflixit, eo magis quod tale quid non expectarem. Sed meum quoque dolorem hoc mitigat, quod in animi Tui conſtantia divinæ virtutis operationem agnoſco, quando omnia in divinam voluntatem refers, & hanc gratioſam, etiam ubi improbis in nos aliqua permittit, prædicas. Ita omnino eſt, Amice in paucis dilecte, ſunt viæ DOMINI mirabiles, primoque ingreſſu tenebris involutæ & ſalebroſæ, ſed earum exitus luce pura fulget.

& Syndici Campidonenſis longe meritiſſimi, Bibliothecæ Schilterianæ Poſſeſſoris digniſſimi, cujus e Muſeo in lucem nuper prodire cœpit Theſaurus Antiquitatum Tevtonicarum Schilterianus, opus deſideratiſſimum & præſtantiſſimum. Non autem reperiuntur hæ epiſtolæ, pietatem, prudentiam & eruditionem edecumatam ſpirantes in Conſiliis & Judiciis theologicis B. Speneri Latinis, Francof. A. 1709. in 4. excuſis, ni fortaſſis in inquirendo mei me fefellerint oculi. Plures ad B. Schilterum a Baluzio, Mabillonio, Conringio, Carpzovio aliisque datas epiſtolas mecum benevole ſe communicaturum promiſit Dominus Poſſeſſor mihi faventiſſimus.

get. Unde ſi recte utamur oblata in his quoque adverſis gratia, reperiemus, tantundem virtutis variæ exercitio illa nobis prodeſſe, atque in ſecundis nobis optare poteramus. Nempe quum proprio inprimis experimento addiſcitur, quam rerum humanarum fluxa fides, inconſtans viciſſitudo & ſpes illis nixa ambigua ſit, magis magisque ab omni in illas fiducia & amore inordinato animus noſter purgatur, divinæ deinceps operationi recipiendæ aptior: ex hac autem omne illud eſt, quo noſtram felicitatem æſtimare decet. Nondum vero ex Tuis ſatis capio, omnino ad vitam privatam redieris, an oblatam a Sereniſſimo Fratre (an hic Princeps Iſennacenſis?) dignitatem ſuſceperis, cujus certus fieri aveo. Vitam privatam Tibi non inviderem, cujus dulcedinem, cum, poſt tot faſtidia, inter publicas curas & negotiorum, omnem pene quietem animi ſæpius adimentium, ſtrepitus, diu tanquam fluctibus jactati ſentire ſemel cœpere, non ſatis commendare valent, uti exemplum in vicinia Generoſus Seckendorfius præbere poteſt. Talenti vero cælitus concrediti uſum, eo tempore, quo & animo & corpore Te adhuc valere credo, publicis commodis ſubtrahi, ægre

ferrem, nec hoc divinum conſilium reor, quo Te deſtinatum ſentio, non ut Tibi, ſed ut proximo ſervias: quamvis enim nec privatæ vitæ deeſt, de iſto bene merendi frequens occaſio, menſuram tamen in Te collatæ gratiæ ampliorem puto, quam ut privatus eam omnem aliorum uſibus impendere valeres. Quod hac cauſa ſcribo, ne dubites, niſi jam factum eſt, aliunde oblata ſuſcipere. Ego Tui, uti me decet, in precibus memor, Cœleſtem Patrem flagitabo, qui pro infinita ſapientia ſua ita de Te diſponat, uti nomini ipſius glorioſum & Tuæ aliorumque ſaluti quam maxime futurum eſt proficuum. Ad reliqua epiſtolæ argumenta paucis me expedire neceſſe. Votis piis & gratias repono amicas, & ut eadem vobis eveniant. Chartarum libri Tui, ad me miſſarum, ultima iſtis characteribus notatur Hhhhh: ſi reliqua ſubmittere velis gratum mihi donum futurum eſt, cui tamen, præter iſtas pagellas, jam quod reponam non habeo. Phænomenon igneum, tota Germania viſum, me etiam afficit, qui alias non omnibus moveor. Magnus eſt DOMINUS in omnibus operibus ſuis & juſta ſunt ipſius judicia, quibuscunque indicibus ea denunciare, vel miniſtris

niſtris exſequi decrevit. Augurium miſſum ingenio me delectat, ſed argumento terret. Quid rota & quid jus Laxenburgicum, ex Tua interpretatione cognoſcere optarim. Mitiget utinam DOMINUS judicia ſua & multa miſericordia temperet, nobis vero gratiam largiatur, qua ipſius voluntatem ſanctam ſemper adoremus, & ut una ſemper fiat, toto corde oremus. Eidem Tu commendatus Vale.

Excellentiſſ. Ludolfum ex Te, cum convenero, ſalutabo. Catarrhus & tuſſis eum per plures ſeptimanas domi tenuit, ſed nunc puto melius habere.

Literas D. Obrechto inſcriptas L. Kulpiſius ſecum feret, qui cras Argentoratum ad capeſſendam profeſſionem juris proficiſcitur.

B.

JESUM cum omnibus gratiæ ſuæ & ſalutis theſauris!

Vir Magnifice, Nobiliſſime, Excellentiſſime Domine Fautor & Amice Honoratiſſime.

SI unquam, certe nunc, poſt tam obſtinatam reſponſi moram, mali nominis nomen merui: Prima tarditatis cauſa, quæ ſemper eſſe ſolet, distractio in varia, quæ me nunquam meum pro arbitrio vel amicorum eſſe ſinit, & æſtatis pars, extra civitatem curandæ valetudini exacta, reliquam etiam pluribus negotiis implevit, quæ poſt aliquam abſentiam reduces fere opprimere ſolet. Inde cum miſiſſes operis Tui de libertate Eccleſ. German. priora, quicquid nempe e prælo prodierat, pro quo munere ago gratias maximas, indecorum videbatur, reſpondere epiſtolæ, niſi ad iſta ſimul reſponderem, adeoque cum cura perluſtrandi prius nanciſcerer otium, hoc vero quam non abundem, qui me norunt, norunt omnes: & ſi quod aliis occupationibus

nibus ſubtraherem, novus labor, de quo mox, ſibi vindicare videbatur. Acceſſit demum, ut fieri ſolet, pudor, quod erubeſcerem, coram eo ſerius comparere, ad cujus epiſtolas in reſpondendo promtum eſſe decuerat. Ita alia poſt aliam ſeptimana effluxit, dum de literis ſcribendis delibero, & non una ſubinde cauſa calamum manu excuſſit, aut ſubduxit. Sed ea de Tuo in me affectu eſt perſuaſio, ut huic etiam tarditati meæ, aut negligentiæ haud difficilem ſperem veniam, quam roganti & culpam faſſo ſaltem non denegabis. Antequam autem ad Tuas convertar, quod de novo labore dixeram explicandum duco. Aggreſſus eſt proximis nundinis meos de Juſtificatione excuſos ſermones aliquis Bartholomeanæ hac in urbe ædis Scholaſticus D. Brevingius, & libellum mihi oppoſitum Excellentiſſimis, qui in hac urbe erant, legatis inſcripſit pariter & obtulit, quod miſer in ea hæreret opinione, ſe totam proſtraviſſe Lutheri ſectam qui juſtificationis doctrinam protriviſſet. Porro cum homo ſit, quem & judicium & eruditio & ſenſus animi exprimendi facultas pariter deficiunt (unde ex autore facile de libello judicium) nullum imminebat veritati aut

Eccle-

Eccleſiæ noſtræ ex ſcripto periculum, nulla ſeductio: Viſum tamen mihi eſt neceſſarium, ne offenderentur infirmi, arbitrati, & dici potuiſſe; & non potuiſſe refelli, tum ut divinæ vocationi obſecundarem, reſpondere adverſario. Nam ut verum fatear, qui hactenus ſolicite caveram, ne implicarer polemicis, hanc aggreſſionem, peculiari cœleſti conſilio factam, haud quaquam dubito, ut occaſio ſubminiſtraretur, non ſolum aliquas adhuc hinc inde in fratrum animis ſuperſtites ſuſpiciones diluendi, ſed iſtam acropolin fidei noſtræ, adverſus veritatis hoſtes, pro viribus, quas ex alto ſuppeditabit DEUS, & ab hujus bonitate mihi, qui me amant, exorabunt, defendendi. Unde DOMINO gratias ago, qui cum me in hoc certamen trahi voluiſſet, hanc materiam diſceptationis noſtræ ſtatuerit, quæ meditatione diligenti non eſſet indigna. Hanc ob rem occaſione utendum reor, & non reſpondebo ſolum Brevingio, quod forte tantæ operæ non eſſet, ſed materias de œconomia ſalutis, pro modo conceſſæ gratiæ, tractare diligenter conſtitui. Unde agendum mihi de imagine primæva, peccato, ἀδυναμίᾳ hominis, legis rigore, & ſervandi poſſibilitate aut impoſſibilita-

bilitate, merito Chriſti, converſione, regeneratione, renovatione, fide & ejus virtute, operibus, eorum neceſſitate & fiducia in illa, certitudine ſalutis, baptiſmo, abſolutione &c. atque adeo de illis rebus, in quibus cor Theologiæ noſtræ conſiſtit, & quarum ad juſtificationis puritatem cognitio neceſſaria eſt. Opus hoc non deſtinavi ſolum, verum etiam divina jam orſus ſum gratia, aſt unde, quod perficiendo neceſſarium eſt, otium nanciſcar, vix circumſpicio. Certe non alias horas, imo plerumque ſemihoras, quadrantes &c. impendere poſſum, quam quas furtim aliis, quæ me premunt, ſubtrahere licet. Unde, quicquid poſſum, tantiſper ex manibus depono, & tamen in nundinas proximas nihil omnino promittere audeo. Nunc ad veſtras ut accedam, ſemel iterumque deſideratum a Te eſt, ut meam de pace Eccleſiaſtica cujus ſpes 1566. in comitiis non omnino depoſita, ſed prorogata ſit, ſententiam exponerem. Fateor autem, non ſemel me de illo argumento cogitaviſſe, & hac etiam cauſa ad reſponſum tardiorem eſſe factum. Quantumcunque autem rem totam expendam, ne minimam quidem negotii hujus ſpem ſupereſſe video, ut hac deſpe-

deſperatione factum exiſtimem, quod ex eo tempore nunquam idem publice reſumtum eſt conſilium, ſed ex manibus & animis depoſitum: poſtquam nimirum & Pontificii, maturius re expenſa, intellexerint, cauſa univerſa ab Eccleſia ſemel deciſa, politicis nihil amplius licere, aut religionis ſuæ caput, autoritatem iſtius, abnegandum eſſe, & noſtri pariter agnovere, uno illo Tridentino ictu, poſtquam concilii autoritas a parte adverſa agnita eſt, omnem, quam concordiæ ipſi etiam ſpem habuerant, eſſe præciſam. Cui ergo bono in deliberationem iterum deducerent, quod omni ſucceſſu carituram facile prævidebant, alteri etiam peccare exiſtimabant, ſi quocunque modo ſe iterum ingererent cauſæ, ad Eccleſiaſticos ſolos ſpectanti? Unde ſi etiam de illis non cogito, qui ſuperſtitioſius Romanæ curiæ adhærent, a qua ſuperſtitione ſaltem Franciam magna ex parte liberabimus, ne ab his quidem quicquam expectare licet: quod nunc etiam oculis videmus: quam enim animoſe poteſtatem Pontificis aggredi & intra cancellos canonum redigere auſi ſunt. Rex & Clerus Gallicanus, non minori zelo, quicquid a fide Romana abit, perſequuntur,

&

& Eccleſiæ, quam Catholicam vocant, in iis, quæ ſemel ſtatuit, autoritatem ſanctam haberi volunt. Unde licet tot motibus res agitata ſit, donec Concilium Tridentinum in regno publicaretur, quod in Thuano pluries legiſſe memini, & ne nunc quidem reformationis, quos vocant, articulos plane ſuſcipiant, libertati Eccleſiæ ſuæ præjudicare creditos, canonum tamen dogmaticorum valorem in dubium revocari non patiuntur, atque adeo, poſtquam Eccleſiæ Catholicæ, ut ſe jactant, conſenſu illi confirmati ſunt, infallibiles omnino judicant. His autem admiſſis, quæ concordia, niſi ex noſtra ſubjectione? Ita difficilem omnino unionem etiam cum aliis, qui divortium fecere, exiſtimo, cum ſolis pene Romanis impoſſibilem: quum enim apud iſtos ſpem quantulamcunque adhuc relinquit principii, Scripturæ non aliunde, vel ex hominum autoritate, ſed ex ſeipſa & lumine ſpiritus explicandæ, communio, eam omnino proſternit, ex parte Romanorum, principii ipſius diverſitas: ut nihil nobis quam preces ſuperſint, & ut expectemus, quid DOMINVS tandem facturus ſit, qui ſolus poteſt, quæ vires omnium ſuperant. Quicquid autem nos tenta-

tentaremus, non ſolum non profuturum, ſed gravi præjudicio & periculo cauſam veritatis ſubjecturum metuo. Unde etiam ſpero Te, Vir Excellentiſſime, in egregio, quod jam prodit, opere, ubi ad caput de Unione ventum fuerit, circumſpecte acturum, ne non dicam Theologorum aliquorum in Te concites iras, ſed ne Eccleſiæ noſtræ, cui conſultum ſerio vis, imprudens præjudicium crees, a qua Voluntate Te ſcio alieniſſimum, & Spiritum veritatis atque prudentiæ, qui calamum moderetur Tuum, ex animo precor. Porro quod ipſum Tuum egregium opus concernit, multum ille me delectat labor, cujus ut reliqua, quæ non adeo multa ſupereſſe ex diſpoſitione olim publicata, a qua tamen obſervavi Te plurimum abire, & in libros ac capita plura hiſtoriam diſpeſcere, proſpicio, feliciter prodeant, & multum fructum ferant, DEUM pie precor, qui gratiam ſuam largiatur. Quod vero, ut aliquas meas animadverſiones mitterem, petiiſti, fateor, in hoc argumento, me Tuis deſideriis ſatisfacere non poſſe: nam cum otium meum non permittat, ut toti materiæ immergar, & quibus uteris hiſtorias ipſe evolvam, lectio talis, qua nunc mihi

mihi utendum eſt, nihil ſuppeditat, quod dignum ſit, ut Tuos ſubiret oculos. Ut tamen videas voluntatem mihi non defuiſſe, pauculos, qui mihi inter legendum orti ſunt, ſcrupulos annotabo: p. 11. dubitavi, an Oecumenicorum Conciliorum autoritas nimia ſtatuatur, & ſcientiæ æquetur: & neſcio quantum Lerinenſis Commonitorio debeamus. p. 18. Ab obligatione legis nos liberatos Theologi non concedent, quamvis ſenſus intentus a vero non abeat, aliis vero verbis enunciari ſolitus. p. 25. χειροτονία appellatur ritus conſecrationis Apoſtolicus; qui χειροθεσίας nomine venit: iſta enim eſt potius electio miniſtrorum ſuffragiorum loco manuum extenſione facta. p. 33. τὰ ἐπίγεια φρονῦντες; ex Phil. 3. in ſenſu contrario videtur uſurpari &c. Sed vel hæc ſufficiant, nec levibus illis meis obſervatiunculis otio Tuo aut patientia abuti velim. Vale & divina gratia res Tuas, imo publicas age optime. Scrib. Francof. ad Mœnum 24. Jan. 1683. cujus reliqua etiam DEUS DOMINUS temporis & æternitatis ita Tibi tranſigi jubeat, ne qua ſine novo cœleſti beneficio Tibi dies abeat, ſed quotidie cum ſole novo nova Spiritus gratia, virtus & benedictio oriatur.

tur, cum occidente nova gratiarum de acceptis actio ſurſum aſcendat. Ita precor

Nobiliſſ. T. Excell.

Ad preces & obſequia addictiſſimus

Phil. Jac. Spenerus D.

C.

A Triumphatore mortis JESU omnia paſſionum ejus merita & reſurrectionis fructus!

Vir Nobiliſſime, Magnifice, Excellentiſſime, Domine, Fautor & Amice deſideratiſſime.

UTramque veſtram accepiſſe non nego, moram vero condonatum iri occupationibus confido. Omnis iſta hyems, quantum vacabat a neceſſariis officii negotiis, impendenda erat operi meo Theologico, cui Brevingius anſam dederat. Ita ut ſemel iterumque ſeptimanas inte-

integras, exceptis diebus, quibus in publico cœtu, muneris publici gratia, comparendum fuit, extra ædes meas agerem, utpote qui domi absque interpellatione vix unam alteramve horam transigere poſſum. Ita literas etiam, quantum licebat, ſepoſui, donec expedita eſſent, quæ nundinæ inſtantes requirerent abſolvi. Nec tamen plane voti mei compos factus ſum, cum enim una typographica officina non ſufficeret, reliquæ autem ſuas operas differre nollent, nec iſti ſuccurrere, niſi his abſolutis, liber meus non niſi hodie, digreſſis jam bibliopolis pluribus, in lucem prodiit. Continet ille 8. priora capita, novem autem ſequentia, aſt neutiquam paris prolixitatis, in alteram partem rejicere fuit neceſſe. Rogo DEUM, ut benedictionem ſuam impertiri velit, ut quod in ipſius nomine ſuſceptum aliquem fructum ferat ad confirmationem & defenſionem veritatis. Exemplum hic mitto, quod boni conſuli rogo, una cum aliis quibusdam noſtris *μελετήμασι*. Quod de libertate religionis agit absque ullo nomine prodire volui. Si enim Pontificiis autor innoteſcat, omnis vis ejus periit, & quem exinde opto fructus. Unde etiam inter noſtros credo quod præ-

ſtet me latere. Ad res Tuas convertor, quas iterum dubias conquerere. Ut ſolatiis animum confirmem, me non eges, res Tuas ſoli DOMINO commendare & in illius voluntate acquieſcere aſſuetus. Scias vero me etiam Tui coram DOMINO meminiſſe & hunc pie invocare, qui Te gloriæ ſuæ inſtrumentum diu ſervet & in quo ipſi ſervias abunde ſuppeditet. Quid vero? nunquid aliorſum vocanti morem gerere non renuis? Si B. Strauchii, Procancellarii quondam Gieſſenſis, ſtationem adhuc vacuam non dedignare, res mihi in expedito videtur. Stipendium equidem adeo amplum non aſſignatur, uti Strauchius ille lautius Jenæ reliquit, quam Gieſſæ invenit: Statio tamen viro erudito perhonorifica, autoritas non contemnenda, &, ob aliquam directionem rerum academicarum, occaſio egregia, de publicis commodis optime merendi, animum, huic ſoli fini intentum, commovere poſſent. Inprimis vita inter literas & literatos tranquillior portus aliquis videri poteſt diu fluctibus aulicis jactato. Et quam gauderem ego, Te nobis propiorem vivere. Quæſo quid ea de re videatur, nulla interpoſita mora perſcribe: cum enim de ea mihi his diebus

bus locutus ſit Profeſſor aliquis juris, qui Te præſidem ordinis ſui cumprimis expetit, uterque cum deſiderio expectamus, quid reſpondeas. Si enim obſequendi ſit voluntas, negotium brevi expeditum iri ille autumat, inclinante in Te aula, ſed Tui obtinendi non multa ſpe. DEO interim hoc quoque pie committam, ut de Te ſtatuat, pro gratioſo ſuo conſilio. Helvigii, quam miſiſti, epiſtolam accepi, ſed non niſi fugitivo oculo percurri. Chymiæ omnis ignarus quæ dicantur in iſto argumento non intelligo, nec tamen aſpernor. Hiſtoriam de nobili ſpectro ſuperiori menſe jam legeram Ratisponæ impreſſam, ſed circumſtantiis variantem, inprimis cum talis adderetur exitus, fœminam, quod obſequi moniali nollet, ab hac fractis brachiis & cruribus colloque contorto enectam. Ex veſtra autem relatione ſupereſſe eam, nec dum a ſpectro liberatam intellexi. Quid de talibus ſentiam, fateor, me hæſitare, & credere, quod nos plura lateant, & non omnia adeo certa ſint in iſta materia, uti quidem plerumque habentur. Piæ, quæ prædicatur, matronæ potentem dexteram DOMINI adprecor tutricem, & ne qua tentatione opprimatur, quæ vires

ipſius excederet. Exitum totius rei etiam cum deſiderio aveo cognoſcere. Cauſam fidei noſtræ cum Quackeris, quos vocant, multo ſtudio tractari & diſceptari, in votis meis jam diu fuit. De hoc vero perſuaſus admodum ſum, quod longe difficilius iſtud argumentum ſit, quam reliquæ controverſiæ, quæ nobis cum Papæis, aut Reformatis, vel Socinianis intercedunt. Sane opus eſt Theologis, non eruditione ſolum inſtructis, ſed viva Spiritus S. virtute, & qui veras divinas in cordibus fidelium operationes experti, has a commentitiis fanaticorum inſpirationibus dignoſcere noverint. Hac ergo virtute ex alto indui eos, qui pro veritate pugnare debent, cœleſtem Patrem rogo. Periculum quod Eccleſiæ noſtræ a Thinenſis epiſcopi conſiliis impendere timui, DEI gratia majori ex parte diſcuſſum ſpero, poſt quam moniti electoralibus Saxonicis literis alii Principes ſeorſim ipſorum cauſam agere recuſarunt. Cum enim ſingulos appellans & Theologos etiam ſingulos exquirens facile aliquos in partes trahere & ſchiſmati occaſionem ſuppeditare potuiſſet, ſpem ſibi præciſam ultro agnoſcet, ubi intelliget, non niſi communicato conſilio & ita totius

totius Eccleſiæ ſuffragiis auditis ſecum agendum. DEUS porro ſuum gregem ab omni ſeductione & periculoſis hujusmodi moliminibus cuſtodiat. E Babylone eductos nulla unquam conditione in eandem remigrare atque ita beneficium divinum aſpernari decet, ſed potius illius inſultus patienter ferre, & cœleſte judicium, quod expletam peccatorum menſuram ſequetur, expectare. Vale in DOMINO, decus noſtrum, & quod facis me amare perge. Scrib. Francof. ad Mœn. 4. Apr. 1684.

Nobiliſſ. T. Excell.

Qui iſtas, ut arbitror, offeret Meltonius, Concionatoris Aulici Darmſtattini filius eſt: ſi qua in parte ſtudia ipſius conſilio juvare noveris, de promptitudine veſtra ipſum ſecurum eſſe juſſi.

Ad preces & officia addictiſſimus

Phil. Jac. Spenerus D.

D.

A JESU Crucifixo

Quicquid ille cruce ſua nobis promeruit!

Vir Nobiliſſime, Ampliſſime, Excellentiſſime, Domine & Amice Honoratiſſime, ac in DOMINO Dilectiſſime.

SCio me ſcribere mei amanti, atque adeo ad veniam proclivi, nec tarditatis meæ, quod nunc etiam reſponſum ad epiſtolam ſuperiori anno ſcriptam, quam alia nuper ſecuta, debeo, prolixa excuſatione egere. Noſti ore & ſcriptis mihi loquentium frequentiam & numerum, noſti Diſtractiones varias, ſed noſti etiam, nec ex literarum demum multitudine colligere neceſſe habes, meum in Te animum. Qui ergo rarius loquor Tibi, frequentius loquor de Te iis, quibuscum ſum, inprimis vero DEO, cui Te donorumque conceſſorum largiſſimum ſemper uſum commendo. Benedictus ſit ille, qui hactenus Te ſervavit incolumem & publicis commodis ſtrenue invigilantem,

tem, ſuæque gratiæ quotidianis documentis beat, dum vides non in vanum Te laborare, ſed laborum Tuorum atque Studiorum in juſtitiæ adminiſtratione & juventutis ad bonas literas manuductione luculentos extare fructus. Idem porro quoque Te ſuo regat Spiritu, & in ea Te ſervet tempora, quibus lætus eorum complementa videas & ſentias, quorum promiſſis ſuprema veritas ſuos jam non uno ſeculo refocillavit. Me quod concernit, quid ſcribam parum habeo, nec enim quos muneris mei profectus oſtendere quærentibus valeam ſingulares ſuppetunt. Interim de hoc DEO ago gratias, quod animum erigit ea fiducia, non poſſe vanos eſſe labores in ipſius timore & plane ipſo jubente ſuſceptos & peractos, ſed creſcere aliquam ſegetem, nobis incrementa ejus nec obſervantibus: ad quod plurimum contribuunt piorum Fratrum fideli corde fuſa vota: in quibus Tibi quoque multum debeo, gratiasque ago decentes pro iis, quæ & nuper meo bono nuncupaſti; & eorum alias etiam fidem facis. Si tamen hoc interroges, nihilne omnino divinæ benedictionis, dum hic ago, commonſtrare valeam, id cape. Videri ex miniſtris Ec-

cleſiæ quorundam animos commotos, ut credant, alio in paſcendis animabus ſtudio ſibi opus eſſe, quam diu aſſueverant: tum etiam quædam dogmata & ipſis & gregibus ſcitu neceſſaria eſſe, de quibus non adeo cogitaverant, & quorum tamen in negotio ſanctificationis uſus maximus eſt. Incaleſcunt etiam in academiis ſtudioſorum quamplurimorum animi intenſiori ſacrarum literarum, quæ ſane ſatis diu ipſis Theologiæ conſecraneis ignotiores quam par erat manſere, ſaltem negligentiore tractatæ ſunt amore. Incipiunt vero magis perſentiſcere, quod illarum cognitio longe majoris æſtimanda ſit, quam quæcunque aliæ ſacræ etiam eruditionis partes; unde cum inter Doctores non fuiſſent, qui ipſorum deſideriis plane hac in re ſatisfacerent, ipſi ſibi conſuluere, & Lipſiæ tres jam cœtus coivere eorum, qui uno illi fini congregari ſolent multo ſuo cum profectu: quorum illi, qui primus fuit, nunc etiam præſentiam ſuam plerumque commodat Excellentiſſimus Alberti, atque adeo reliquis calcar addit. Exemplum horum ſecuti ſunt Wittebergenſes, & nuper collegium ejusmodi, uti loqui amant, docti & pii magiſtri inſtituerant, quale etiam

Jenæ

Jenæ frequentari comperi. Mihi vero hoc perſuaſiſſimum eſt, tum demum de Scholis & Eccleſiis noſtris bene agi, ſi ſacer ordo omnem ſapientiam ſuam ex ſolis divinis oraculis haurire diſcat, ſtudiisque reliquis ex eo tribuatur honos, prout quodvis ad illa pandenda propius facit. Cœpi etiam Sereniſſimo Electore non abnuente ſuperiori anno ipſo ineunte catecheticum examen domi meæ, tantum ut periculum facerem, quæ hominum cupido eſſet aut ardor ad diſcenda veritatis & pietatis fundamenta. Hic vero brevi tempore longe maximus apparuit, & ſpem noſtram ſuperavit, adeo ut exercitium illud ex omni ætate, ſexu, ordine tot homines inviſere ſoleant, quot ædium non omnino anguſtarum ſpatium capit. Apparuit exemplo hoc, non eſſe quod de auditoribus conqueramur, omnino ſalutis ſuæ cunctos incurios eſſe, verum ſi ſint qui fideliter inſtruere velint, adfluere multitudinem inſignem. Non nego, conatu hoc meo, multorum me in me provocaſſe odia & invidiam quod me in alienam meſſem (tanquam non omnium eſſet, quovis modo aliorum ſuccurrere ignorantiæ, & docendi munere non una methodo fungi) falcem immittere, & functio-

functionis meæ dignitati (quaſi ulla major eſſe poſſet, quam fieri gratiæ divinæ apud plures inſtrumentum) aliquid contemti hoc officio derogare, arbitrentur. Aſt talia ferre jam diu divina gratia aſſuetus non paſſus ſum iniquis me ab inſtituto avocari. Unde conticeſcere videntur anſeres iſti, ſaltem minus frequentes eorum ad me perferuntur voces. Spero etiam brevi fore, ut in publicum locum mihi exercitium transferre liceat: inprimis poſtquam in nupera dicta provinciali Synodo rem deliberari Sereniſſimus noſter voluit, quod Protoſynedrii a pluribus annis conſultatio fuerat, ut videlicet catechetica examina ſingulis Dominicis habenda in univerſa ditione Saxonica introducerentur, quod Eccleſiaſticæ Ordinationes jam ſuperiori juſſerant ſeculo, & haud dubie inſtituerant, ſed quod videtur ſequentium temporum calamitates ſalutarem ordinem denuo ſuſtulerunt. Laudarunt quoque ordines Electoris ſalutare conſilium, atque ita communi conſenſu autoritas Catecheſi addita, nec aliud jam reliquum eſt, quam ut executioni deliberata dentur, ad quod cœleſtis Pater prudentiam, illisque qui operam ſuam navare debent, neceſſariam

riam ad labores hos προθυμίαν largiatur, ex quo pendet, quantum ex inſtituto ex ſe ſalutari poſt hac ſperandum ſit. Hæc fere ſunt, quæ meas ſpes adhuc ſuſtentant, quod enim de morum aulicorum emendatione ſperem, parum ſupereſt. Aſt ferenda, quæ nequeunt mutari, illisque impendenda majori ſedulitate opera, quorum aliquis fructus prudenter ſperatur. Imo, vel nullo apparente, agamus quod noſtrum eſt, DEOque quod omni modo ſuum commendemus. Ut ad veſtra redeam, cum non audiverim quicquam repoſitum demonſtrationi Tuæ, qua ſenſum veteris Eccleſiæ de ſolutione vinculi conjugalis ante oculos poſuiſti; hanc victoriam exiſtimo, de qua Tibi gratuler, & frequentes alias apprecer. Plurimum etiam laudo vitæ inſtitutum Tuæ, quod mihi ſignificaſti, Te videlicet vivere Tibi, & nemini nimium reddi familiarem; hanc plane mihi quoque, cum huc venirem, vitæ regulam præfixi, & juxta eam incedo. Meminiſti me Francofurti etiam congreſſui plurium hominum rarius interfuiſſe, hic vero ſcias me omnino abſtinere, & domi meæ negotiorum meorum ſatagere: unde qui peregrinus huc veni, ſi etiam diutius hic ſupervive-

rem,

rem, peregrinus ſemper futurus ſum, nec id quidem invitus. Quod præter neceſſitatem, dum videlicet veritatis profeſſioni periculum non creatur, præſentem ſtationem cum alia commutare hactenus nolueris, omnino etiam probo, qui nec amo mutationum non neceſſariam frequentiam, nec laudo eos, qui loca deſerunt, in quibus DEO plurimum ſerviendi adhuc occaſio eſt, quod ſuæ ſecuritati conſulere malint, uſum ſui publicum iis relinquere, qui ipſis indigent. Servet Te DOMINVS Argentinæ Tuæ imo noſtræ diutiſſime, aut ſi omnino ad tempus aliter de optima civitate diſpoſuerit, ut ſine conſcientiæ vulnere ibi commorari amplius non poſſes, locum receptus oſtendat, votis Tuis atque amicorum congruum. Ottomannici Imperii in has anguſtias redactio certe fidem noſtram ſuperaſſet, ſi quis ante annos pauculos illam nobis facere tentaſſet: unde haud dubie ſingularia conſilia divinæ ſapientiæ eſſe oportet, quæ in apricum brevi proditura. Sed quid præſagit illa nunc Romanæ curiæ & Franciæ colliſio? Quid Quietiſmi intra non multum temporis tanta incrementa, ut ægre glliſcens ignis opprimatur? Quid Inquiſitionis

ſitionis licentia, cum ipſum Pontificem, ei tanquam O deſcalcio loquentes, de illo errore, cujus ſuſpectus factus ſit, examinarent? Sunt ſane hæ ſcintillæ, quæ aliquo flatu deſuper excitatæ incendium faciant, tam facile non reſtinguendum. Sed conſtant ſuæ providentiæ, ſuorum decretorum, & ſapientiſſimæ temporum ἀνονομίας rationes illi, qui univerſa moderatur, & ex cujus voluntate ipſa quoque deſideria noſtra lubenti ſuſpendemus animo! Faciat ille quod ſibi collubitum eſt, & certe faciet rectiſſime, nec quod ſapientiæ atque bonitatis elogion ſemper dum ſeculum hoc fuit ſervavit, ſub ejus extrema ullo modo perdet. Ejusdem gratiæ pie commendatus vale perpetim. Scrib. Dreſdæ 6. Mart. 1688.

Nobiliſſ. T. Excell.

Ad preces & officia addictiſſimus

P. J. Spenerus D.

Illuſtriſſi-

Illuſtriſſimus Promnizius Comes, qui Soræ in Luſatia inferiori habitat, nuper rogavit, ut proſpicerem de pædagogo filiis ipſius præficiendo, quorum tamen maximus natu adhuc prima elementa literarum diſcit. Requirit hominem pium & Latinitatis, nec non Francicæ linguæ gnarum. Mavult etiam Theologum, ſed non dedignatur juris ſtudio innutritum, modo ſeculi vanitate non infectum. Conditio linguæ Gallicæ impedit, quominus facile hic inveniam, quem commendem. Veſtra autem in urbe eorum copiam eſſe non ambigo. Unde rem mihi faceres gratiſſimam, ſi edoceres, eſſetne apud vos qui ſtationem iſtam capeſſere vellet. Theologus ibi homileticum exercitium ſi quærit habere poteſt, & cum aliis converſationem, nam & Superintendens ibi eſt & alii Eccleſiaſtici; nec deforet ſpes promotionis. Qui politica ſtudia tractat, nec ille quidem omni eorum exercitio excideret, cum Cancellarius & Conſiliarii ibi habitent. Unde forte non omnino pœnitenda conditio fuerit. Expecto vero vel ex Te vel alterius, quo uti voles, indicio quæ nobis ſpes ſit.

X. ELO-

X.

ELOGIUM THOMÆ LANSII

AUCTORE

B. THEOPHILO SPIZELIO

Theologo olim Auguſtano celeberrimo *(a)*.

OPERA

CONSULTATIO de Principatu inter Provincias Europæ, ſæpius recuſa Tubingæ in 4. & 8. noviſſime A. 1655. in 8. in Anglicum etiam ſermonem juſſu Regis converſa Londini.

Mantiſſa Conſultationum & Orationum prodiit ibid. 8. 1657. in qua continentur Conſultationes tres:

(a) Hoc inter reliquias MSStorum Bibliothecæ Spizelianæ cum aliis in poſterum a me vulgandis, inventum forſan B. Auctor inſerere voluit Corpori vitarum ſelect. ſeu theatro literatorum univerſali, vid. Meelfuhreri Acceſſiones ad Almelovennii Bibliothecam promiſſam & latentem. p. 112.

I. De Cura Principis erga Religionem;
II. De prærogativa inter milites ac Literatos:
III. De optimo parandarum opum modo, & partarum uſu.

Orationes v. ſingulares quatuordecim?

I. De utilitate & jucunditate Hiſtoriarum.
II. Laudatio Funebris Friderici Magnanimi Ducis Wirtembergici.
III. Allocutio Votiva ad Principes Wirtemb.
IV. Diſſertatio pro Jurisprudentia.
V. Laudatio funebris JO. GEORGII Ducis Slesvici & Holſatiæ.
VI. Laudatio funebris Sibyllæ undecimæ.
VII. Laudatio funebris Rudolphi Epiſc. Halberſtad. Ducis Brunsv. & Luneb.
VIII. Celebratio Secularis feſti Lutheranorum. *IX.*

IX. Laudatio funebris Matthiæ Hafenrefferi.

X. Laudatio funebris Antonii Henrici, Comitis Oldenburgenſis.

XII. Pro illuſtri Collegio, cum Princeps Eberhardus D.W. in Athenæum introduceretur.

XIII. Laudatio funebris Titi Wirtembergici.

XIV. Laudatio funebris Joh. Harprechti, JCti.

De Rerum Naturalium Principii Diſſertatio Authore Lanſio anno 1596. *Tubingæ prodiit, ut & altera de prædicabilibus ibid. habita.*

THOMAS LANSIUS.

PRæclarum hoc Academiæ Tubingenſis imo Germaniæ univerſæ decus & ornamentum, amœniſſima artium & literarum humaniorum ſtudia a Juris Civilis ſcientia (cui per multos annos ſtrenue invigilaverat) adductum in ſui amorem abſtraxerunt, neque ſatis illi fuit, interdum

a revolvendis Jurisconſultorum libris (in quorum tractatione voluptatis minimum, laboris vero plurimum eſſe ſolet,) defeſſo, quaſi colligendi ſui gratia in humaniſſima illa ſtudia, tanquam in hortos, omni florum herbarumque varietate excultos ſeſe conferre; verum ea amœnitate pulchritudineque percepta, ibidem habitare, quieſcere, ac refertam deliciis honeſtiſſimis vitam agere decrevit. Sed & rariſſimum longævæ vivacitatis ſeculo noſtro exemplum præbuit: Nam poſt ſervatorem orbis natum ſeſquimilleſimo ſeptuageſimo ſeptimo anno fuit natus in oppido ſuperioris Auſtriæ cui nomen Bergis, Patremque Leonardum Lanſium ſupremum loci vicinorumque judicem ac Præfectum habuit, qui cum felicem nec inglorium Patriæ contra perduelles catervas egiſſet vindicem, filius propemodum literarum ſtudia cum armorum uſu permutavit, animumque ad militiam contra Muhamedanos applicuit, fato tamen caſuque ſingulari Lanſius ad Muſas, quarum decus deſtinabatur, fuit regreſſus. Quas cum ardentius eſſet complexus admirabiles adeo in iis progreſſus fecit, ut brevi tempore ad editiſſima ſapientiæ ac virtutis templa ſit elevatus, ſiquidem (teſte non

non nemine) nihil præclara hæc indoles reliquit intactum, nihil in tota Philoſophia & omni Philologia transmiſit inſalutatum; Rerum & Linguarum cognitionem, quantacunque vitæ ſuæ inſtituto neceſſaria foret & decora, individuo nexu conjunxit, ac inter ſeveriora Civilis doctrinæ & Jurisprudentiæ ſtudia ſemper humaniores literas oblectamenti loco habuit, aliasque ſubinde excoluit artes, nec ad unius duntaxat rei ſcientiam voluit alligari. Illuſtri tandem Scholæ Tubingenſi, quæ Principes, Comites, Barones, Equites Reipublicæ præparare ſolet negotiis, a Friderico Duce Würtembergico Ephori titulo præfectus inclutam juventutem omnigenæ eruditionis ſupellectile inſtruere ſtuduit, & exquiſitis ſapientiæ prudentiæque præceptis; Mellifluo cumprimis ſuadæ inſignis flumine non ſolum illuſtre illud viridarium, ſed orbem literatum pene univerſum irrigavit, atque magni nominis gloriam notiſſima illa CONSULTATIONE eſt conſecutus, qua univerſa Europæi Nominis Regna ad Lydium veluti lapidem juſtamque bilancem cum pulcherrima Germanici Imperii victoria exigere allaboravit. Magno cum plauſu orbis Politicus, hoc opus excepit, inquo

quicquid Europa fere univerſa Auguſtum, nobile, ſplendidum ſublimeque; & quicquid e contra fœdum, inglorium, depravatumque habet, id omne velut in claro ſpeculo veriſſime repræſentatur. Alteræ quoque Conſultationes pariter ac Orationes in illuſtri habitæ Collegio, de cura Principis erga Religionem, de prærogativa inter milites & literatos, de optimo parandarum opum modo ac partarum uſu, aliæque commentationes egregiæ, mirifice Lanſiani nominis auxere ſplendorem, virumque optimum bonis commendavere omnibus. Pro ſingulari virtute ſua ſummæ comitati ſociata ſuffecit, ſingulis, & quantum integro Dei honore licebat, hominum quorumvis amori & favori ſtuduit. Modeſtiam etiam tanti viri haud ignotam eſſe patiuntur tot honorum recuſationes; Certatim ab Imperatoribus, Electoribus, & Principibus Lanſius expetitus, nunquam inſoleſcebat, nec ſplendidiores admittebat functiones, virtute meruiſſe contentus faſtigium, minime ambiviſſe deprehenſus. Nec ſine inſigni mentis demiſſione Cæſareæ gratiæ documentum excepit, ipſamque auream Ferdinandi III. imaginem ſibi ultro ſubmiſſam eſt intuitus. Collegerat enim Lanſius

ſius magna copia antiquiſſimorum temporum numiſmata, atque hunc theſaurum (cum hiſtoriarum certitudinem eo haud parum juvari poſſe vidiſſet) magis magisque adauxit. Quapropter S. C. Majeſtas ad Aulam ſuam Noſtrum cum numaria invitavit ſupellectile, ſed cur id minus fieri poſſet edocta, ſatis habuit transmiſſum antiquitatis vidiſſe ac perluſtraſſe theſaurum. Verum cum ſummus tandem Imperator in Cœleſtem Aulam octuagenarium vocaret, hilari is fronte beatæ æternitatis excepit prodromum & ad felicem emigrationem ſeſe totum compoſuit; *Non eſt* (ajebat frequentiſſime) *mortale quod opto;* Id quod feliciſſime eſt conſecutus, poſtquam mortalitatis leges anno Chriſti milleſimo ſexcentiſimo quinquageſimo ſeptimo expleviſſet.

BUSTO THOMÆ LANSII

Sibi

Ignoti & Notiſſimi

Quidam Orientali in Franconia Vir Vetuſtus & Juvenis.

D.

ALma Tubinga cur aſtat triſtis? Avitaque circum
Muſa ſilet? diram cur ſollicitudo quietem
Addit & infeſtat duro bona corda dolore?
Cur? quia Divini rumpuntur ſtamina vitæ
Conſummata Viri. Non, Mors licet omnia ſolvat,
LANSIUS incubuit fato, ſed poſthuma virtus
Hunc ſine fine canit. Momenti tempore Magnus
Se dedit æternum vates, & Lumina Terræ
Dum condit, ſplendet Nomen per ſidera LANSI.

* * * * * *
* * *

Hic LANSI legitur corpus; ſed clara per orbem
Fama patet; Comitem mens Deitatis agit.

Sepulchro Patroni
optimi dicavit
MAGNUS HESENTHALER.

Qui etiam Lanſii cineres oratione elegan-
ti ex decreto Sereniſſ. Ducis Wür-
tembergici decoravit.

XI. Ejus-

XI.

Ejusdem Elogium J. B. Schuppii.

D. JOH. BALTHASAR SCHUPPIUS.

SI Viris quibusdam præstantibus tam longa vita suppeditasset, quam magnum & ad summa quæque idoneum ingenium contigit, pauci profecto illis viris gloria præstitisset. Non raro autem est observatum iis, quibus singulare natura ingenium tribuerit, mortem ejusdem augendi ostendendique spatium ademisse, & præclara eorum conamina veluti semina enecasse. E quorum numero nostra ætate extitit Joh. Balth. Schuppius, in quo (Giessæ anno Æ. C. 1607. nato) jam inde ferme ab incunabulis ea ad maximarum disciplinarum studia indoles ac materies eluxit, ut Joh. Eberhardus Parens, Senator Giessensis filium hunc elegerit, quem eruditissimorum hominum artibus, omnique eleganti doctrinæ totum addiceret, qua cum æquales omnes sine controversia superaret, & tanquam alter

Hermogenes ἐν παισὶ γέρων *inter pueros ſenex* exiſteret, nec philomathiæ ipſius patria amplius ſufficeret, de fructuoſo quodam itinere ſuſcipiendo cogitavit, eoque feliciter peracto, & plerisque nobilioribus Germaniæ, Daniæ & Belgii Academiis peragratis in patriam rediit, mox ad publicam Hiſtoriarum & Eloquentiæ admotus profeſſionem. Quamvis autem hanc quam nactus erat ſpartam, egregie ornaret, nec quicquam ad exolendum Eloquentiæ ſtudium pertinens prætermitteret, tantum tamen aberat, ut Theologiam interim neglexerit, ut ſupremis poſtea in ea honoribus ornatus, ſimul etiam Equeſtris Ordinis Teutonici Paſtor electus fuerit. Hoc in munere cum æque præclare ſe geſſiſſet, nec pietate tantum eccleſiaſtica, verum revocatione etiam Conſiliorum Politicorum ad veri Chriſtianiſmi regulas Principi ſuo valde profuiſſet, haud abs re ab eo fuit delectus, qui anno ævi hujus quadrageſimo ſeptimo ad ſaluberrimum illum Conventum Monaſterienſem & Oſnabrugenſem mitteretur, mox ob res præclare geſtas *Præco & Eccleſiaſtes pacis* appellatus. Cum autem biennio poſt Proceres Hamburgenſes Virum quærerent, cui vacua Eccleſiæ *S. Jacobi*

cobi Cathedra tanquam Paſtori committeretur, dignus ille præ cæteris habitus fuit, qui ad tam arduum ſimul & ſpectabile munus ſuſcipiendum honorifica vocatione accerſeretur. Neque ſucceſſu hoc caruit conſilium. Annuit enim huic vocationi Schuppius, non divitiarum quidem cupiditate, a qua ut inprimis ſacerdotes decet, ſemper fuit alieniſſimus, ſed cupidine talento ſibi a Deo commiſſo plus lucrandi in magna & populoſa civitate, quæ propter opulentiam luxu, & propter luxum innumeris inde naſcentibus ſcateret vitiis. Hæc cum peculiari quadam ratione reprehendiſſet, genioque nonnihil indulgens ſuo, Jocoſa miſcuiſſet ſeriis, nec minus genere dicendi ſcribendique Theologis hactenus inuſitato uſus fuiſſet, multorum evitare non potuit odia & offenſiones, variæque fortunæ aleam Hamburgi ſubire coactus eſt, cujus fabrum & Architectum licet ipſummet Schuppium fuiſſe quidam exiſtiment, eo quod infeſto ſcopuloſoque affectuum & cogitationum ſuarum pelago ſeſe committere maluerit, quam aliorum locum dare conſiliis, proptereaque in Syrtes ſcopulosque illum deveniſſe, adeoque navem ſuam afflixiſſe; alii tamen iique inſignes ingenii Schuppiani

piani fautores, non ſolum ab omni culpa eum liberare, verum publico etiam programmate, Hamburgi poſt obitum ejus in lucem edito aſſerere non dubitarunt, *Urbem illam Schuppio fuiſſe Theatrum ærumnarum, palæſtram tentationum, lernam perſecutionum, cotem conſtantiæ, Scholam patientiæ, vivumque Commentarium aurei iſtius libri Senecæ; Cur bonis Viris mala accidant, cum ſit providentia.* Teſtati inſuper ſunt Schuppium phaleratas vulgi ineptias, bonæ mentis ſoliditate fuiſſe ſupergreſſum, & nudam ſine fuco fallaciisque adamaſſe virtutem ac veritatem, & vel cum damno crepundiorum fortunæ eſſe bonum maluiſſe, quam tantummodo videri. Ab eo ſane tempore, quo multos cum illo Hamburgi ſermones miſcui, firmiſſime credidi, eum ſingularem ſuam dicendi ſcribendique rationem ad optimum finem ſcopumque ordinaſſe, utrum vero ſatis feliciter eundem ſit aſſecutus, aliis relinquo dijudicandum. Recte quidem ſapienterque contra Stoicos a peripateticorum ſchola defenditur, non inutiliter a natura datum eſſe homini ardorem quendam animi & alacritatem, qua ad res arduas ac difficiles fortiter ſuſcipiendas perſequendasque impellatur, ſed non minus

nus egregie dictum est, hanc incitationem animi magno regendam esse studio, neque committendum, ut quamcunque illa velit in partem nos abstrahat atque compellat, denique in omni re videndum esse, quod egregie ex veteris Sapientis dicto Terentianus Sosia, *id arbitror*, inquit, *apprimè in vita esse utile, ut ne quid nimis.* Quem si noster etiam magistrum habere voluisset, graviores non raro evasisset tempestates, imo longior forsitan ipsi vita ad perficienda alia egregia molimina, & promovenda varia Sacræ & Literariæ rei commoda suppeditasset. Tam gravibus vero jactatus procellis, rerumque humanarum nausea tædioque affectus, paulatim in lentum incidit morbum, quo indies magis magisque ingravescente anno seculi hujus sexagesimo primo vix quinquagenario major vitam piissime finivit.

IN JOH. BALTHASARIS SCHUPPII Effigiem:

Magnus in hoc tenui vivit quasi Schuppius ære
Qui plenum Sancto Numine pectus habet.
Dotibus ingenii major, quam pingat Apelles,
Maximus Hamburgo Præsul in urbe cluet.

XII. Ejus-

XII.

Ejusdem Elogium Hartmanni Creidii *(a)*.

ET Hartmanno Creidio, χαλκοῦπτον quem heic artificis radius ab olivione vindicare adlaboravit quendam, nec cum poſtremum, quidem inter Auguſtanos Auguſtanæ γνυσίως ita perhibita Confeſſionis Præcones jure meritoque locum deberi, nemo adeo facile niſi qui veritatis ingenuos vindices debito honore defraudare cogitaverit inficias ibit, cum tanti, de Eccleſia Chriſti meritiſſimi ſymachi, non vulgati commatis merita pridem luculentis eum encomiis inſignierint: ψηφοφορεῖν & nobis piis pii viri manibus hinc teſſelamque urnæ molliter cubantis immittere, in præſentiarum non abs re viſam, quo teſtatior ejusce memoria orbi ſedeat. Feliciorem hancce ſobolem felix mater feliciſſime enixa eſt, bono orbis chriſtiani, in ſpecie Auguſtani, ipſismet nonis Octo-

(a) Hoc inſerere voluiſſe videtur Spizelius cum ejus icone Auguſtanorum doctrina, meritis, ſcriptisque publicis illuſtrium Imaginibus & Elogiis. vid. Meelführerum l. c. p. 112.

Octobribus cum millies ſexcenties ſexies a partu ſalutifero annuas periodos ſol adimpleſſet. Irenopyum Cattis conterminæ Wedderaviæ, luci ſtato primas circumpoſuit faſcias, de tam amabili fœtu mirifice ſibi congratantibus συζύγοις honeſtiſſimi & ordinis & originis, Dn. Parente Hartmanno Creidio, ſcabino atque ſenatore loci, genitrice Margaretha Thommannia. Chriſto regeneratus, Chriſto educatus, Chriſto ſuccreſcens, ſcholarum initiamentis dicatus, ſacratioribusque ſtudiis ſacratus, e ludorum triviis, ad altiores literarum cathedras pergere juſſus proximum primum Francofordium, Gieſſam hinc porro, & denique Marpurgum prorogandorum ſtudiorum ergo iit, ſane juvenis admodum, neque tamen ſine maſculo progreſſu, induſtria annorum defectum ſupplente liquet id inde quod vicennis in alma Cattorum Marpurgenſi ſumma cum laude mitra ſummorum in Philoſophia honorum redimitus, va. Iduum Mart. Anno 1626. ſtatim ad ſacratiora Theoſophiæ adyta adeunda animum adplicuerit, nec in hoc tramite pervadendo ſocors, quandoquidem non ita multo poſt, ſub auſpiciis ἰᾷ νῦν ἐν ἁγίοις magni Theologi Dn. D. Juſti Feurbornii arduum

duum iſtud ζήτημα de omnipræſentia Chriſti τῆ ἀνθρώπῳ felicisſimis ſucceſſibus defenſum iit, ulteriora omnino auſurus, ni propter immenſa bellorum onera exactionesve, vel potius effractiones, ſumptibus ſtudiis porro ſuppeditandis parentes ſuccubuiſſent; ægerrime quocirca ab Academicorum ſtudiorum alacerrimo curſu revocatus, domumque redux privatam eamque perquam ſedulam, ſacris ſtudiis addixit operam & theoreticis μελετήμασι elucubrandis pernox, ſacris præ cæteris ſermonibus, & vicinis Oſenhermenſium, & Faurbacenſium paganis templis ſerendis aſſiduus, hinc & ad Patrias caſtelli, & Xenodochii ſacras pergulas admiſſus, non ſine lætiſſimo applauſu Semina Divini Verbi civibus ſparſit, plauſibilior indies, cum propediem, phrontislerii patrii functio quæpiam vacare cepiſſet, debitis modis & in eandem ſuffici deſideravit, & deſiderii compos eſt factus, ſeptennemque eamque proficuam ſat operam ſuam eidem addixit, trino exin atque triceſimo ultra mille & ſexcentos anno, Urſellas latus & Scholæ Rector & Eccleſiæ Miniſter cooptatus, breviculo ſane tempore ibi moratus, ob ingruentes horridiores bellorum

lorum turbines patriam repetere neceſſe habuit, quantumvis nec ibidem tuta ſat forent halcyonia; cæterum in mediis armorum turbis, paſtor Otenheimenſibus datus, cum poſt cladem Nordlingenſem totus iſte vicus in cineres redactus fuerat, brevique poſt diriſſima iſta lues, immane graſſaretur, quæque uno eodemque temporis tractu utrumque Friedbergenſium Evangelii miniſtrum rapuerat, Diaconus Creidius noſter ſuffectus concatenatis Eccleſiæ laboribus modo non ſuccubuit, duravit tamen per S. Spiritus gratiam, ſeque trinis integris luſtris ſervavit in ſacra patriæ ſtatione, ad annum quippe 1649. quo poſt Monaſterienſem Pacis Germanicianæ tranſactionem, reſtituta Auguſtanis Evangelii prædicandi libertate huc accitus, diviniſſimam hancce vocationem ambabus quod ajunt eſt amplexus ulnis, valeque patriæ poſtridie idus Majas de more dicto, ad iter ſeſe accinxit, 5. Cal. Junii Auguſtam introiit felicibus auſpiciis, iisdemque peractis peragendis, ad D. Annæ Dn. M. Philippo Webero Paſtori & Seniori Diaconus datus, triennio ſacro cultui operam addixit ſtrenuam, quoad vivis exeſſe juſſo Pientiſſimo ſuo Dn. Seniori, in Paſtorali dignitate ſuccenturia-

tus ſtetit; quanta cum animi alacritate, quantoque cum fructu atque emolumento, & credito Annæano cœtui, & univerſo id ædis Auditorio quadriennio proximo Paſtor præfuerit, ut fuſius operoſius id diducamus, nec opus, nec noſtræ opis, cum & ſuperſtites & ſuperſtes fama, una cum utiliſſimis, ſcriptorum monumentis affatim id ipſum poſteritati loquantur: ſed & etiamnum plurimorum animis mellitiſſima facundiſſimi Theologi ſuada, nec dum obliterata ſcitiſſimarum allegoriarum ſymbolorumque amœna ſeries, in quibus, ſi quis, alius hic Vir ſummum punctum merito tuliſſe cenſendus, in corripiendis reliquum delinquentibus acer, ac animoſus, diviniori zelo plane in eosdem armatus in pavidis vero formandi & firmandis mirum quantum blandus & felix in omnibus paſcendis ac ſtruendis non tam promptus quam aſſiduus, adeo ut quid in hocce viro DEI deſiderares, vix quicquam foret. Sed nec deerat quod tantum Jehovæ miniſtrum uſque quaque peſſime haberet adverſitates, præprimis conjugiorum, in iisdemque parturientium conjugum & luctuoſiores nixus, earundemque una cum fœtibus interitus, quorum caſuum ſane lugubrio-

rum

rum ternos experiri neceſſe habuit noſter, quartum conjunx felicior, Annam Catharinam Windekerianam Francofordienſem felicioribus auſpiciis nactus ex qua quintum parens, trinam ſobolem binam ſequioris, unam maſculi ſexus ſuperſtitem fatis habuit, quæ valetudinario noſtrati, aliquandiu ante obitum, acceleravere non procul a patria Irenopolitana, in Acidulis Sualbacenſibus, quo ſe reciperandæ valetudinis cauſa Quinctili menſe Anno 1656. contulerat, non infauſto primitus quidem curæ, ut videbatur, ſucceſſu, ceterum ut fatorum vis eſt ineluctabilis cum XIV. Cal. Septembr. erat ille dies veneris, matuta ſexta, de more acidolarum portionem potum, lætus perrexiſſet, ſciaterio vix binas horas menſo, inter ambulacra ſolita, derepente catarrho ſuffocativo meatus pectoris obſtipante, paulo poſt beatis ſedibus intereſſe juſſus eſt, cum ante felicem obitum gemebundus prius, ſublatis in cœlum oculis, exclamaſſet, moriendum mihi O bone Deus, O Jeſu, O Jeſu, O Jeſu! continuoque ſpiritum exhalavit, cum dena vitæ luſtra inter mortales exegiſſet.

XIII.

Variæ Obſervationes.

Viſum eſt, in poſterum ſubinde hujusce opellæ partibus ſubjicere varias obſervationes ἐπιμέλειαν loco uno faſce comprehenſas, quæ ſingulæ ſeorſim poſitæ nimis conciſæ forent.

§. 1.

IIs, quæ præcedente tomo *(a)* de Joanne Aventino dicta ſunt, nonnulla jam addere juvat. Vidi interim aliquod ejus opuſculum, hoc titulo gaudens: *Divis Dionyſio Areopagitæ, Hemerano, Bolfgango, tutelaribus Bojariæ numinibus S. Illuſtriſſ. que Principibus Bojorum Vilelmio Litavico, Arioniſto D. D. Imp. Henrici IV. Cæſ. Aug. Ducis vero Bojorum ſeptimi vita. Ejusdem Epiſtolæ inventæ a Johanne Aventino, editæ vero a ſodalitate literaria Bojorum. Clariſſ. atque Illuſtriſſ. Principis Friderici Ducis*

(a) Pag. 81. ſq. & 302. ſqq.

cis Saxoniæ &c. *Epiſtolæ ad Johannem Aventinum. Ejusdem Principis capita rerum, quas ipſi abſolvit Aventinus: ad eundem Principem Aventini carmina: Auctores quidam quos Aventinus invenit, & qui nondum impreſſi ſunt. Sodalitatis literariæ Bojorum carmina, cum Privilegio Imperiali.* Typis exſcriptum eſt Auguſtæ Vindelicorum in Sigismundi Grim Medici, & Marci Wirſung officina, Menſe Auguſto Anno MDXVIII. in forma quadripartita. Libri, quos inveniſſe ſe in epiſtola ad Leonardum de Eck de Wolfseck, ejusque & principum ſuorum auſpiciis publicaturum ait, ſunt ſequentes: *(b) Divi Cyprianus & Victor Martyres Chriſti. Jus pontificium integrum. Lex Salica integra cum additamentis Caroli Magni, Litavici primi, Lutharii primi, Auguſtorum. Fragmenta quædam veterum JCtorum. Vitrobius de Metallis. Alberti Magni Magia. Mathematica Hermanni Comitis Veringenſ. & ejus Chronicon. Jordanus epiſcopus in-*

 teger,

(*b*) Secuti ſumus in iis enarrandis ipſius Aventini orthographiam.

teger, cum annotat. & commentar. Alb. Bojemi. Provinciarum Rom. Imperii cum inſignioribus urbibus deſcriptiones. Regino & Romerius præſules de rebus Germanicis. Veronardus Noricus de rebus Bojorum. Albertus Bojemus itidem decurio Bathavinus, conſilius Otonis primi comitis Palatini Rheni & Ducis Bojorum. Fortunatus Epiſcopus Pictonum, qui XI. libros carminum ad Gregorium M. Pont. Max. ſcripſit; ejus ſunt Salve feſta dies & Crux fidelis, quæ imperiti aliis falſo tribuunt. Euticius Grammaticus. Aſpar Grammaticus. Diomedes integer. Theodorus Mallius de metris. Ars Donati. Grammatica vetus Græca. Lexicon Græcum & Latinum vetuſtiſſimum, quod Pomponius Lætus ſe in Norico legiſſe gloriatur, & Hermolaus Barbarus citat. Prioribus literis Friderici Saxoniæ Elect. ad Aventinum Torgaviæ Dominica Eſto mihi a A. MDXIIII. exaratis hæc eſt inſcriptio: *Von Gottes Gnaden Friderich Herzog zu Sachſen* &c. *und Churfürſt* &c. *Unſerm lieben beſondern deß hochgebohrnen Fürſten unſers lieben Obeyms Herzog Ernſts zu Bayern* &c. *Zuchtmaiſter* Johann Aventin Magiſter. Cæterum ſciagraphiam Germaniæ illuſtratæ, quam G. H. A. vel potius Hieron. Auguſt. Gro-

Groſchuffius in vita Aventini, recentiſſimæ Annalium Boicorum editioni præfixa, exhibuit, jam Anno MDXXX. pridie idus Maji ad Joachimum Vadianum auctor miſerat, ejus obſervationes eam in rem flagitans *(c)*.

§. 2.

Supra *(d)* in dubium vocavi, poſtulata illa ruſticorum ſive duodecim articulos de libertate Chriſtiana Schappelero jure adſcribi: nunc obſervo, rectius forte eorum auctorem nominandum eſſe Joannem Heuglinum Lindavienſem, A. MDXXVII. Mersburgi juſſu Epiſcopi Conſtantienſis combuſtum, quod conjicit Maxime Venerandus Elias Frickius, Vir doctior incertum, an melior, in Hiſtoria Lutheraniſmi Seckendorfiana, Germanice reddita, ac in concinniorem ordinem redacta, multisque acceſſionibus locupletata *(e)*. Faſſus enim eſt is, antequam

(c) Vid. Philologicarum Epiſtolarum Centuriam, a Goldaſto editam, & cum Conringii præfatione Lipſ. 1674. in 8. recuſam p. 188. ſqq. ubi ea ſciagraphia hunc gerit titulum: *Capita rerum, quibus illuſtrabitur Germania ab Aventino, modo contingat benignus Mecenas.*

(d) Pag. 328. ſq.

(e) Pag. 847.

ad ſupplicium reparetur, ſe a ruſticis tumultuantibus captum eoque adactum eſſe, ut illorum gravamina certis articulis incluſa ſcripto complecteretur. Operæ pretium eſt, ipſa ejus huc transferre verba e Martyrologio Theologi quondam Celeb. D. Ludovici Rabi, civis mei (Memmingæ enim is natales debuerat ſuos) petita *(f)*, ut inde Schappeleri innocentia eluceat: *Als mich die Bauren (wie manchen Biedermann mehr) zu ihnen genöthiget haben, iſt denſelben Bauren von Sernatingen eine Bottſchafft zukommen von Uberlingen, des Innhalts: So fern die von Sernatingen ſich mit den Bauren nicht vereinigen, ſey ein Rath zu Uberlingen geneigt, ihnen alles nachzulaſſen, ſo den andern Bauren nachgelaſſen werde. Und ob ſie etwas beſchwerd haben, ſollen ſie dieſelbigen denen von Uberlingen anzeigen. Dazumalen haben ſie mich überkommen, daß ich ihnen ihre Artickel in eine Schrifft verfaſt und geſtellet habe, daß ich keinesweges abredig bin. Als ſie aber weiter berathſchlaget, ob der Artickel der fäll und läß halben auch zu ſchreiben wäre, und ſie mich deſſelbigen Raths gefragt, hab ich alſo zu ihnen geſagt: Dieweil*

(f) Tom. II. fol. 447.

weil wir hören, daß etliche Herren zu Stockach und anderswo ſich entbieten, die beſchwerden zu mildern, beduncket mich, es könte nicht viel Schaden bringen, ſo man gleichwol dieſen Artickel auch verzeichne. So viel hab ich hierinnen gehandelt, und nicht mehr, will verhoffen, dieweil mancher Biedermann dazumal in groſſen Sorgen und Nöthen ein übriges hab thun müſſen, und ich dergeſtalt und nicht anders gehandelt, auch gemeynet habe, ich thäte den Herren ein Wolgefallen daran, dieweil ich die Bauren ſonſt gar nicht geſtärkt, ſolle mir das an meinem Leben gar kein Nachtheil und Schaden bringen.

§. 3.

Ottomarus Nachtigall, de quo ſuperius actum eſt, nomen ſuum Germanicum pro more illorum temporum non in Latinum duntaxat Luſcinii, verum etiam in Græcum Prognei aliquando transformavit. Hoc præpoſuit Hendecaſyllabo, Ubertini Puſculi Brixienſis duobus Simonidos libris præmiſſo, ſive poëmati heroico de Simonis pueri Tridentini, a Judæis crudeliter necati, martyrio, quod A. MDXI. in quarti ordinis forma Auguſtæ Vindelicorum Joannes Otmar typis excudit. Nactus interim quoque ſum ejus In-

ſtitutiones Muſicas, a nemine unquam prius pari facilitate, uti titulus fert, tentatas, atque Argentorati in 4. per Joannem Knoblouch A. MDXV. impreſſas, in quarum limine hoc hexaſticho lectorem Nic. Gerbelius compellat:

Si tibi prædulces unquam placuere Camœnæ,
Si lyra, ſi citharæ te rapuere ſoni:
Si petis Amphion fieri, vel Thracius Orpheus,
Si te Muſarum non pudet eſſe ducem.
Non grave prædocti tibi ſit legiſſe libellum
Othmari, tenet has quas memoramus opes.

In dedicatione ſe Muſicas illas inſtitutiones olim in frequenti Viennenſis Academiæ auditorio profeſſum eſſe memorat; in poſtfatione autem Wolfgangum Grefingerum ſuum in his deliciis præceptorem laudat, pluraque ejusmodi pollicetur.

§. 4.

Tetigimus in quinto hujus opellæ faſciculo (*g*) craſſam cujusdam Bibliothecæ præfecti inſcitiam, qui linguæ Hebraicæ

(*g*) Pag. 47.

cæ prorſus ignarus, operis eo idiomate conſcripti titulum exprimere aliter haud potuit, quam indigitando, eſſe librum a fine incipientem. Condonanda fuiſſet hæc homini ruditas, ſi eo ævo, quo Græce noſſe ſuſpectum erat, Hebraice pene hereticum, vixiſſet: non enim tum caruiſſet plurimis fratribus ac ſociis etiam inter eos, qui eruditiſſimi videri volebant. Reuchlinus certe, magnus ille literaturæ ſolidioris in Germania ſtator & vindex, quo tanquam ſplendidiſſimo decore Suevia noſtra gloriari poteſt, cum Rudimenta ſua Hebr. Phorcæ A. 1506. vulgaret, ubi libri principium, ubi finis ſit, digito velut intento monſtrare, huncque canonem adjicere neceſſum habuit:

Non eſt liber legendus hic ceu cæteri,
Faciem ſiniſtra, dextera dorſum tene,
Et de ſiniſtra paginas ad dexteram
Quascumque verte. Quæ Latina videris,
Legito Latine, Hebræa ſi ſint inſita,
A dextra legenda ſunt ſiniſtrorſum.

Venia vero aliquanto facilior parata eſt illi monacho, de quo Groſchuffius *(b)*: *Memini in Bibliotheca Argentoratenſi publica adſervatum eſſe Pſalterium Davidis, Tullii*

(*b*) In vita Aventini a. 2.

Tullii & Cypriani notis Latine conscriptum, quod cum forte olim in monachi cujusdam oculos incidisset, nec litterarum ductum intelligeret, eo tamen audaciæ processit, ut libri tergo inscripserit: Psalterium in lingua Armenica perscriptum.

§. 5.

Qui Indicibus librorum prohibitorum augendis operam locant suam, eos interdum committunt errores, ut facile appareat, vix ac ne per transennam quidem iis inspecta esse opera, quæ rejecta atque atro carbone notata cupiunt. Unico id probatum dabimus exemplo, sed luculento satis. In Elencho librorum omnium tum in Tridentino Clementinoque Indice, tum in aliis omnibus sacræ Indicis Congregationis particularibus decretis usque ad annum 1640. prohibitorum per Franciscum Magdalenum Capiferreum Romæ secunda vice ex typographia Cameræ Apost. An. 1640. edito p. 284. notatur *Octobris Melandri J. V. D. Liber, cui titulus est, Jocorum atque seriorum, tum selectorum atque memorabilium centuriæ aliquot lucidæ, utiles, lectuque maximopere dignæ. Francof. 1603.*

1603. Habes igitur metamorphoſi ſat ridicula ex Ottone Octobrem, ex homine menſem. Ne autem typothetæ eam oſcitantiam imputes, videſis hunc errorem non modo p. 214. & 261. iteratum, ſed & in ipſo Congregationis decreto *(i)* admiſſum. Idem duplici vice repetitus eſt in Clementis XI. Indice librorum prohibitorum Romæ A. 1711. publicato *(k)*.

§. 6.

Oculis vix fidem habui meis, quum nuper aliud agens in Eraſmi Schmidii, Viri alias doctiſſimi, & Græcarum inprimis litterarum callentiſſimi, Notis in Novum Teſt. *(l)* ſequentia legerem: *Ars* (typographica) *ita poſtea exculta fuit, ut anno ejusdem Epochæ 1465. prima opera publica prodiret, impreſſis Officiis & Paradoxis Ciceronianis Pergameno, cum hac inſcriptione, & in fronte & in calce appoſita: Præſens Marci Tullii clariſſimum opus Johannes Fuſt Moguntinus civis, non atramento, plumali canna neque ærea. Sed arte quadem perpulcra. Petri Manu*

(*i*) Pag. 74.
(*k*) Pag. 276. & 365.
(*l*) F. 5.

Manu pueri mei. feliciter effeci finitum. anno. M. CCCC. LXV. Ita enim in αὐλογεάφῳ *ipſo legitur & diſtinguitur. Quæ verba aliis, qui forte exemplar tale* αὐλόπλαι *non viderunt, paulo aliter allegant; ut videre eſt in erudito certamine Altorfino de Antiquitate ſub* ἐργοδιώκῃ *Thoma Freigio Viro doctiſſimo inſtituto — — in quo & annos 1466. perperam ponitur (niſi forte de editione quadam ſecunda (m) ſit ſermo) & verbum unum atque alterum transpoſitum, imo & inſertum, ſecus quam in meo —* αὐλογεάφῳ *anno 1465. impreſſo habetur. Illud ſaltem obiter moneo, non recte in eo certamine ſcribi manu Petri &c. quaſi τὸ manu eſſet Ablativus inſtrumenti, quum ab autore, licet* σολοίκως, *uſurpetur in Genitivo,* arte Petri Manu; *& ſit proprium,* Peter Fuſt oder Fauſt, *non appellativum. Quod non animadverſum, translocationi occaſionem dedit.* Neſcius nempe Schmidius, Petrum non Fuſti, ſed Schœfferi cognomine fuiſſe inſignitum, aliis abs re impingendo ſolœciſmum grammaticum, ipſe ridicu-

(m) Vid. Maittaire Annal. Typogr. Tom. I. p. 60.

ridiculum commiſit ſolœciſmum literarium.

§. 7.

Solœciſtarum literariorum numerum auget quoque Gedeon Pontier, qui in Bibliotheca Magnatum *(n)* Gallice ſcripta & Pariſiis A. 1682. in 8. edita, Beatum Rhenanum, notiſſimum illum rerum Germanicarum ſcriptorem, prænomine ejus deceptus, inter ſanctos vel potius beatificatos retulit. Vocetur enim ipſi p. 279. *le Bienheureux Rhenanus*, invitis certe Pontificibus, aulæ cœleſtis claves ſibi vindicantibus, quorum decretis nonnulla ejus ſcripta in Indicibus librorum prohibitorum damnata ſunt. Parachroniſmis vero literariis accenſendus eſt ille, quem in Juſtini Martyris Apologia II. pro Chriſtianis deprehendimus, ubi *(o)* *Ptolemæus*, Ægyptiorum Rex, bibliothecam inſtruens, deque Judæorum prophetis certior factus, *ad Herodem*, Judæorum Regem, miſiſſe dicitur, eorum volumina ſibi expetiturus.

§. 8.

(n) Le Cabinet, ou la Bibliotheque des Grands, &c.

(o) Pag. 72. conf. Samuelis Petiti Variar. Lection. Cap. XXVIII. f. 385. Tom. VII. Criticorum Sacrorum, quos Anglicanos vocant. add. Jo. Fabricii Hiſtoriam Bibliothecæ ſuæ Part. I. p. 64.

§. 8.

Dedimus ſupra ſpecimen ſupplementorum Welſchii ad Bibliothecam Geſnero-Simlero-Friſianam: nunc notamus, in Bibliotheca Kryſiana ſive Catalogo Librorum Jacobi Krys, Eccleſiæ Romano-Catholicæ, dum viveret, Amſtelodami Paſtoris, qui proximo menſe Martio Hagæ Comitum plus licitantibus cedent, p. 92. memorari Bibliothecam, libros & ſcriptores ferme cunctos ab initio orbis ad annum uſque 1583. ordine literario complectentem, auctore & collectore Alfonſo Ciacconio, Hiſpano, obſervarique Bibliothecam Geſnero-Friſianam auctorem fundamenti loco poſuiſſe, ita, ut partim ibi occurrentibus plures addiderit obſervationes, partim prætermiſſis illam ſcriptoribus auxerit: opus vero ad medium uſque literæ E. tantum perduxiſſe, ubi ad vocem Epimenidis ſcribentis manus ſubſtiterit.

§. 9.

B. Theophilus Spizelius in Felice literato ex infelicium periculis & caſibus ſive Commentat. de vitiis literatorum peculiari ſectione egit quoque de literatorum hominum

minum cenodoxia ſive pernicioſo inanis gloriæ amore ac ſtudio. Ibi in notis manuſcriptis, quibus exemplar meum auctius reddidit, p. 313. Natalem Alexandrum, Clariſſimum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptorem, inter thraſones litterarios collocare non veritus eſt, ita de eo diſſerens: „Inſignis plane jactantiæ & ce-„ nodoxiæ labem noſtro ævo contraxiſſe„ videtur celebris alias auctor ſelectorum„ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitum, & ad ea„ diſſertationum chronologico-critico-„ dogmaticarum, Natalis Alexander, dum„ Claudio Fraſſenio, compilatoris no-„ tam ſibi impingenti, ſequentia reſcri-„ bere non dubitavit (*p*): *Novum opus*,„ *magnum, difficile ſtudioſis commodum, Ec-*„ *cleſiæ (ut viri probitate, doctrina & di-*„ *gnitate illuſtres opinantur) non inutile, a*„ *quatuor eminentiſſimis Cardinalibus, qui*„ *ſua me benevolentia propter lucubrationes*„ *in hiſtoriam eccleſiaſticam meas dignantur*,„ *commendatum ab illuſtriſſimis Cleri Galli-*„ *cani principibus, qui mihi etiam honora-*„ *rium in poſtremis comitiis libertate ſua de-*„

(*p*) In diſput. apologetica adverſus F. Cl. Fraſſen. ed. Pariſ. 1682. f. 4. ſq.

„*creverunt, laudatum, a magnatibus cum*
„*æſtimatione aliqua ſuſceptum, a viris o-*
„*mnium nationum eruditis expetitum, au-*
„*ctoris nomine & honore non indignum,*
„OMNINO ALEXANDRUM COM-
„PROBAT. *Horum judicio contentus,*
„*Claudii Fraſſenii convicia non vereor. Si*
„*quis ante me ſelecta hiſtoriæ eccleſiaſticæ*
„*capita, & in loca ejusdem inſignia diſſer-*
„*tationes edidit, cujus laborem non ſolum*
„*ſim æmulatus, ſed diripuerim jure compi-*
„*lator a Fraſſeno fuerim appellatus. At ſi*
„*nemo hucuſque hiſtoriam eccleſiaſticam hac*
„*methodo, hoc ordine, hac ubertate tracta-*
„*vit; ſi nemo diſſertationes in univerſam*
„*eccleſiæ hiſtoriam ſeculorum ſeptendecim*
„*varia negotia illuſtrantes & exponentes*
„*ſcripſit & edidit: ſi nemo hæreſes omnes*
„*iis, quibus natæ ſunt, ſeculis confutatas*
„*& convictas ex ſcripturæ ſacræ & tradi-*
„*tionis doctrina exhibuit:* QUOD SANE
„ANTE ME FECISSE NEMINEM PA-
„LAM EST, *hodiernus hiſtoriæ eccleſiaſti-*
„*cæ compilator injuria vocor a Fraſſeno.*
„Et poſt alia, *qui controverſias*, pergit A-
„lexander, *attingit a NEMINE tracta-*
„*tas, qui diſceptatas ab aliis quæſtiones no-*
„*vo ordine expendit, novisque probationi-*
„*bus, argumentis ac reſponſionibus illuſtrat,*

„*qui*

qui recentiorum hæreticorum ac Johan-„
nis Dallæi Calviniani Miniſtri inprimis„
opera contra catholicam eccleſiam plurima,„
quibus nemo Catholicorum huc uſque re-„
ſponderat, primus omnium ex Doctoribus„
catholicis confutare aggreſſus eſt, is Fraſ-„
ſeni judicis non aliud quam compilatoris„
hiſtoriæ eccleſiaſticæ nomen promeretur„
&c. Quantumcunque autem curæ &„
ſtudii Natalis Alexander in conſcriben-„
dis edendisque ſelectis ſuis hiſtoriæ ec-„
cleſiaſticæ capitibus, parandisque ad in-„
ſignia ejusdem loca diſſertationibus hi-„
ſtoricis, chronologicis, criticis & dog-„
maticis adhibuerit, planiſſime tamen„
conſtat, magnificum illum de opere„
proprio ſenſum, auctori cæteroquin e-„
rudiſſimo nonniſi ex ſpiritus elatioris di-„
ctamine obrepſiſſe, nec levem monu-„
mento alias non ſpernendo fuliginem„
induxiſſe. Neque hic conquievit ſcri-„
ptoris ejusce cenodoxi infelicitas, ve-„
rum magis lugubri habitu ſeſe dedit„
conſpiciendam: ſcilicet cum opera ejus„
omnia ab Innocentio XI. Pont. diro du-„
roque diplomate proſcripta fuiſſent, at-„
que horribili notata carbone. Nimirum„
Bullæ Pontificiæ (A. 1684. d. 10. Julii„
Romæ divulgatæ) tenore Selectæ Hiſt.„

„Eccleſ. capita cum aliis Alexandri ſcri-
„ptis penitus damnata ſunt & reprobata,
„ipſorumque impreſſio, deſcriptio, lectio,
„retentio & uſus omnibus & ſingulis
„Chriſti fidelibus ſub pœna excommuni-
„cationis ipſo facto incurrenda interdi-
„ctus: *Volentes* (ita Bullæ pontificiæ ver-
„ba porro ſonant) & *apoſtolica auctorita-*
„*te mandantes, ut quicunque libros prædi-*
„*ctos vel eorum aliquem penes ſe habuerint,*
„*illos ſeu illum ſtatim atque præſentes literæ*
„*eis innotuerint, teneantur tradere atque*
„*conſignare locorum ordinariis, vel hæreti-*
„*cæ pravitatis inquiſitoribus, qui exempla-*
„*ria ſibi ſic tradita illico flammis aboleri (q)*
„*curent. In contrarium facientibus non*
„*obſtantibus quibuscunque, &c.* (r) Quan-
„tum inde doloris acceſſerit Alexandro,
„haud valenti contra ſtimulum tam acu-
„leatum calcitrare, nemini erit obſcu-
„rum. Neque a diro iſto cenſuræ pon-
„tificiæ fulmine Natalem vindicare po-
„tuit ingens ejus pro fide Romana zelus,
„toto

(q) Pertinent igitur Natalis Alexandri opera ad libros publica auctoritate combuſtos, de quibus proxime ſingulari commentatione diſſerere animus eſt.

(r) Mitiorem tamen erga Nat. Alexandrum ſe præbuit modernus Pontifex Benedictus XIII. atque ejus opera, ni memoria me fellit, e damnatorum numero exemit.

toto opere proditus, conceptumque ex„ deletione & extirpatione Gallorum Pro-„ teſtantium gaudium, gemino loco *(s)*„ declaratum.„

§. 10.

Coronidis loco pauca hic addam e Celeb. Wagenſeilii Collegio MSto de moribus Europæorum aulicis, notatu non indigna. „Cum Chriſtina Regina Sue-„ ciæ magno ſtudii literarumque ardore„ flagraret, Bibliothecam ſuam monu-„ mentis literarum Orientalium nulli„ comparandam atque adeo viginti milli-„ bus imperialium æſtimatam, ei donavit„ Gilbertus Gaulminus Senator Pariſien-„ ſis, pro quo dono Regina Senatori red-„ di juſſit triginta millia Imperialium, ſed„ juſſit tantum, nihil enim ille accepit. Ut„ autem ipſa ſciret, quid in libris dono„ oblatis contineretur vocavit ad ſe viro-„ rum doctorum noſtri ſeculi facile prin-„ cipem Samuelem Bochartum. Non au-„ tem eo honore, quo dignus erat, Bo-„ chartum tractavit Regina, ſed ipſum rur-„ ſus dimiſit, perhibens, eum quidem eſſe„ virum eruditum, ſed non eſſe aulicum:„ mores ſcilicet externos in eo reprehen-„

(s) Tom. XXI. Select. Cap. f. 346. & 580.

„ſum ibat. Et Bocharto dimiſſo Biblio-
„theca rediit ad Senatorem quem dixi,
„Pariſienſem. Salmaſium in tanto pre-
„tio habuit, ut ejus ignem ipſa aliquan-
„do curaret, cum ille conclavi literis ſe
„abderet. Et mortuo Salmaſio Regina
„literis rogavit viduam, ut aliquem ex e-
„jus filiis educandum ſibi committeret;
„annuit petito mater, mittens filium ad
„Reginam coram quo prædicabat ipſa
„parentis defuncti merita, hoc inſimul
„addens, ut veſtigia parentis puer le-
„geret, ſed & elegantioribus
„moribus adſueſceret.

INDEX.

INDEX.

A.

ABbreviaturæ, quas vocant, ſolœciſmis literariis occaſionem præbuerunt. pag. 38. ſq.
Abendana. 213
Abrahamus Ecchellenſis. 210
Acoſta (Chriſtoph.) 497
Agacle, an nomen proprium poëtriæ Græcæ? 21. ſq.
Agathodæmon. 492
Agnelli Diſceptat. de ideis rar. 265
Almaſtainus. 493
Almelovenii epiſtola. 197. ad eum de recuperata ſanitate Kolartiæ ode. 200
Alphraganus. 493
Ammani (Caſp.) Pſalterium Germanicum rar. 291. ejus ſpecimina quædam. ib. & 455. ſq.
Angelus Calaber. 493
Anglerii (Petri Mart.) Epiſtolæ rar. 255

Angliæ Regis & populi ſententia de Concilio Mantuano. 269
ex Antoniana Margarita fœmina erudita effi&ta. 5
Apiani (Pet.) Inſcriptiones rar. 286
Apocalypſeos explicationem impediens præjudicium. 452
Apollonii Tyrii hiſtoria Græco-Barbaro ſermone, rarior. 274
Argentoratenſes peculiarem confeſſionem comitiis Auguſtanis cum Memming. Lindav. & Conſtant. exhibent. 347. eam ad Saxonicorum mentem explicant, & in fœdus Smalcald. recipiuntur. 360. Auguſtanæ confeſſioni ſubſcribunt. 361. item Concordiæ Wittenberg. 363. Confeſſioni tamen Tetrapolitanæ nonnihil tribuunt. 364. Auguſtanæ Confeſſioni conſtanter adhærent. 368
Avennis (Balduin. de) 494
de Aventini Annalium Epitome, variisque ac variantibus editionibus diſſertatio. 81. ſqq. 302
Aventinus quos libros invenerit. 596
Auguſta Vindelicorum ferax eruditorum mater. 457
Auguſtanæ editiones Biblicæ rariores. 457

Augu-

Auguſtana quædam monumenta antiqua. 120. ſeqq.
Auguſta primum Zwinglio favit. 356
Aurea bulla pro aureo bove habita. 9
Auriſpa orator. 494

B.

BAdilo. 494
Bajerus (Jo. Guil.) 220
Baillet (Adr.) des Satyres perſonelles rar. 289
Balbini (Bohuslai) Epiſtola. 181. ſeqq. methodus Latina in Græcum transferendi idioma. 187
Balſamo (Theod.) notatus. 16
Baptiſtæ Mantuani opera. 215
Batei (Georg.) Elenchus motuum in Anglia. rar. 290
Beckius (Matth. Frid.) 214
Beneintendens Cancellarius. 494
Bertlini (Barth.) vita. 221. ſqq.
Beſſario Bibliothecam ſuam Senatui Veneto donavit. 164
Bibliorum editiones rariores. 258. 290
Bibliotheca univerſalis an in Germania concinnari queat? 203. 215
Bibliothecam ſuam Jeſuitis Pariſ. donavit Huetius. 164. ſqq.

Bibliothecariorum quorundam inſcitia. 47
Bide (Bernhardinus) teſtis veritatis. 309
Blancardi (Nic.) laus. 195
Blaureri (Ambr.) ſcripta quædam. 341
nummi in ejus honorem cuſi. 342
Bœſchenſteinius (Jo.) 291
Bohemiæ proceres Balbini ævo eruditi. 185
Bohemi eruditi. 186
Bohlii Concordantiæ Particularum Hebr. 212
Bombini (Pauli) vita Campiani rar. 284
Bonifacius Veronenſis Princeps. 495
Braulio. 495
Breklingii de Luthero, Arndio & Morhofio judicium. 210
Brevingius. 555
Brukeri (Jac.) Diſſert. de Ottm. Luſcinii Pſalterio German. 455. ſqq.
Buceri ſcripta in Germ. ipſo curante excuſa rariora. 261. Genevæ caſtrata ac interpolata. ibid.
Bucerus Confeſſ. Tetrapol. auctor. 369. laudes. 370. ſqq. nonnullis minus probatur. 370. convitia in eum ſparſa. 371. Anglis maxime laudatus. 372. Zwinglio primum, dein Luthero conſtanter adhæſit. 372. ſqq. articulis Smalcald. ſubſcribere recuſavit. 374

Burleus (Gualt.) 14
ad Burrhi hiſtoriam analecta. 141. ſqq. ejus abſonæ opiniones. 150. ſqq. ſcripta combuſta. 162
Burrhus in effigie ſuſpenſus & combuſtus. 163
Buxtorfius (Jo.) 210. ſq.
Bzovius ob ea, de Ludovico Bavaro ſcripſit, ad palinodiam adactus. 209

C.

CAlendæ unde nomen nactæ? 16
Campiani vita rar. 284
Camus. 6
Capellani poëma de puella Aurelianenſi. 535. 539
Caraccioli (Ant.) Synopſis religioſorum rituum. 217
Caryophilus (Jo. Matth.) 503
Caſauboni (Iſ.) Corona Regia. 36
Caſauboni (Mer.) Commentat. de IV. linguis rar. 258
Caſtrenſius (Daniel) eruditus Græcus. 202
Centona per ſolœciſmum Literarium Proba Falconia dicta. 8
Ceremonialis Romani raritas. 242
Chriſtina Sueciæ Regina. 613
Chriſtophorus Epiſcopus Auguſt. Reformationem Eccleſiæ Memmingenſis impedire conatur. 315

Chryſoloræ Erotemata linguæ Græcæ rar. 287
Claramontius (Scipio) 506
Claudianus Chymicus. 497
Cleberus (Euſeb.) 367
Clementinæ & Novellæ pro meretricibus habitæ. 4
Cochlæi Hiſtoria Huſſitarum rar. 255
Comarus. 497
Comenius. 216
Confeſſionis Tetrapolitanæ hiſtoria. 305. ſq. auctor. 369. editiones. 381. ſqq. ad eam pertinentia documenta. 384. ſqq.
Confutationis Confeſſionis Tetrap. auctores. 353. convitia. 399
Conringii liber de finibus Imperii Germanici ab Hadriano Valeſio notatus. 542. ſq.
Cornellii (Ant.) infantium in limbo clauſorum querela, rar. 287
Cotovici Itinerarium rar. 260
Craſſipes, Gros-pied. 32
Creidii (Hartm.) elogium. 590
Criſpi Quinarius de ethnicis philoſophis caute legendis, rar. 264
Critici ſtudii neglectus. 180
de S. Cyrano (Abb.) liber de ἀλοχείᾳ rar. 172

D.

Diodori Siculi Codex MS. in Biblioth. Vindob. 113. Ex δωρῳ βασιλικῳ Jacobi Angl. Reg. auctor. pseudonymus effictus. 5
Dudithii (Andr.) opuscula rar. 254
Durrii (Jo. Conr.) epistola de Joanne Fausto. 50. sqq.

E.

Eccius (Jo.) delusus a Cardinale Campegio. 354. a lascivo mulierum consortio haud alienus. 355. levissimæ armaturæ miles. 398. ejus epistolæ inconcinnæ. 399. sqq. verum nomen. 409
Ecstases pueri duodecennis. 342
Ecton Lindenbrogius. 18
Ederi (Georg.) liber virulentus contra Protestantes a Maximil. II. prohibitus. 271
Edzardus (Esdr.) 214
Ehingerus (Jo.) de Guttenaw. 353
Epigramma, edulii genus. 10. sq.
Epistolæ a Snegassio vulgatæ rar. 271
Epistolarum Rabbinicarum libellus rar. 268. contra Erasmum pro Cicerone J. C. Scaligeri expostulationes. 510. sqq.

Erdödi (Gabr. Ant.) opuſculum theologicum a Carolo VI. prohibitum. 272
Erempertus Longobardus. 499
Eruditorum quorundam memoriæ obſcuræ. 478
Eſchenbachii epiſtola de itinere ſuo Germanico-Belgico. 190. ſqq.
de Eyb (Alb.) notatur. 2

F.

FAtum, paradiſus, ſors, vocabula prohibitæ. 28. ſq.
Fauſtus præſtigiator e Joanne Fuſto vel Fauſto primo typographo effictus. 50. ſqq.
de Fauſto præſtigiatore narratiuncula Jo. Manlii. 300. ſqq.
Felix (Caſſius). 496
Ferrarius (Octavius). 217. 218. ſq.
Florus Magiſter. 500
Fœminæ eruditæ. 197. 200. 218. 496
Fontaninus (Juſt.) notatus. 46
Forſtnerus (Paul. Chriſt.) 547
Fuggeri (Ant. & Raym.) literarum Mæcenates. 463. ſq.

G.

GArnetus (Henr.) in Anglia ob conſpirationem pulverariam ſupplicio affectus.

fectus. 275. ſpica miraculoſa ejus imagine inſignita. 275. ſqq.
Gaſſendus. 536
Gelenii (Æg.) lib. de ſacra & civili magnitudine Coloniæ rar. 273
Georgius Nicomediæ Archiep. in Georgium Nicodium transformatus. 33
Georgius Chriſto coævus. 41
Goldaſti Paræneticiveteres rar. 259. Politica imperialia rar. 274. item Suevicarum rerum Scriptores. ibid.
Gothus (Adelardus). 492
Græcæ linguæ ignorantia ſuperiori ævo. 19
Grimm (Sigism.) typographiam privatam habuit. 466
in Grotium convitia Seyferti. 262. ſqq.
Gruteri (Jani) epiſtola. 177
Gudmundi (Andr.) Lexicon Islandium, rar. 259
Guelferbytanæ Bibliothecæ Codices nonnulli MSS. 192
Gugy (Georg.) Eccleſiæ Memmingenſis miniſter. 339
Gutmanni (Æg.) *Offenbahrung Göttlicher Maj.* rar. 292

H.

HAckſpanii icon. 204. ejus præſagium de futuris Ebræi textus reformatoribus. 205
Hæreſiarcha quid denotet Reichenthalio. 44
Hæretici nomen a ſe uſurpatum quomodo excuſet Balbinus. 183
Hamburgenſis Biblioth. Codices nonnulli MSS. 194
Haſſenſteinii poëmata & epiſtolæ rar. 286
Heideggeri Anatome Concilii Tridentini. 207
Henoch. 501
Heresbachii errores. 23. ſq.
Heuglinus (Jo.) combuſtus, auctor videtur eſſe XII. articulorum de libertate Chriſtiana. 599
Hermannus Contractus. 25
Hermaphroditus, poëmatis ſpurci titulus. 3
Herodoti Cod. MS. in Biblioth. Vindob. 98
Heſperius, Cynicus fictus. 21
Hœdus (Pet.) inter ſcriptores eroticos perperam relatus. 35
Hœppen (Paul.) capite plexus. 325
Holſtenii Epiſtola ad Bœclerum. 145

Hornii Hiſtoria naturalis & civilis opus imberbe. 204
Huetii tabulæ donationis, quibus bibliothecam ſuam Jeſuitarum domui profeſſæ Pariſ. addixit. 164. ſqq.

J.

JUl. Cæſar quidam legit Jean Cæſar. 38
de Janua (Joann.) 30
Idus unde nomen nacti. 16
Igianus (Cœlius). 495
Imagines Memmingæ templis ejectæ. 340
Jonas Chriſto coævus. 41
Jongelini Notitia Abbatiarum Ciſterc. rar. 172
Iſenberg (Walth.) lib. rar. 324
Juchaſin. 6
Juſtini Codex MS. in Biblioth. Guelferb. 193
Juſtiniani (Fab.) Index univerſalis alphabet. rar. 208
Juſtinianus Lexicographus. 37

K.

KEilius (Jo.) 297
Kircherus (Athan.) 219
Kolartiæ (Eliſæ) ode. 200
Kuttge (Jo. Dan.) refutatus. 332. ſqq. 402

L.

LAbadie. 204
Lambecii Commentar. de Biblioth. Vindob. Lib. IX. fragmentum. 97. ſqq.
in Lanceæ & clavorum, quibus corpus Chriſti perfoſſum fuit, honorem feſtum celebrant Pontificii. 19
Lanſii (Th.) elogium. 577
de Libris rarioribus diſſertatio. 239
Licetus (Fortun.) 500
Licetus (Joſ.) 504
Lipſius in morte fecit ſolœciſmum. 48
S. Lonchi. 19
Lozeri (Sebaſt.) Apologia pro Memmingenſibus. 329
Luſcinius (Ottm.) 455
Lutheri epiſtola. 436. in eum convitia Moroneſſæ. 250. ſq.

M.

MAcrobius pro diabolo habitus. 20. item pro hæretico German. ibid.
de Magenberg (Conr.) 498
Majerus (Alex.) 327
Malchus. 20
Manethon Sybennita. 504
Manetius (Janotius.) 502
D. Marci oratio pro precibus ad S. Marcum habita. 42

Marollus (Mich.) 539
Maximiliani I. Mandatum contra indulgentiarum nundinatores. 312
Memminga non caruit veritatis teſtibus ante reformationem. 308. 334
Memmingæ initium reformationis. 315 miſſa abrogata. 344. 433. ipſum euchariſtiæ uſum antiquitatum eſſe ad Lutherum falſo perlatum fuit. 345. 436
Memmingenſes Zwinglio primum addicti. 345. peculiarem confeſſionem cum Argent. Lindav. & Conſtant. in Comitiis Auguſt. exhibent. 346. Concordiæ Wittenb. ſubſcribunt. 363. item Formulæ Concordiæ. 367. dimittunt Cleberum Crypto-Calviniſtam. ibid.
Menagius (Æg.) 535. ejus ridiculi errores. 30. ſq.
Meſſieurs Livres. 12
Mindenſis urbis appellatio unde? 189
Miſſale ſecundum ritum Eccleſiæ Bremenſis rar. 257
Mornæus ſolœciſmorum inſimulatus. 6 defenſus. 7
Moroneſſæ (Jac.) convitia in Lutherum. 250
Muſæus Wormianus. 9

N.

NAchtigall (Ottm.) ſcripta. 455. ſqq. 601
Navigationes in Indiam Orient. rar. 256
Neuſtetterus (Eraſm.) 179
Nicas, auctor Etymologici magni effictus. 23
Nicolette (Ant.) 493
Nonæ unde dictæ? 16
Noviomagus. 34

O.

OCtavius Minutii Felicis. 27
Olearius (Jo. Gottfr.) notatus. 37
de Orientalium eccleſiarum in dogmaticis conſenſu. 211
Otfridi Evangeliorum liber rarus. 257
Ovidius de Vetula. 25
Ovidii Metamorphoſes pro Bibliis Anglorum habitæ. 43

P.

PAradiſus (Romulus). 28
Parkeri (Rob.) liber de deſcenſu Chriſti ad inferos rar. 267
Paſſeratii de literarum inter ſe cognatione libellus rar. 268
Patres. 47

in Paulum V. epigrammata. 293. ſqq.
Petri Hiſpani tractatus rudis. 74. ſq.
Phile (Eumolp.) 499
Picatrix. 8
Piſana (Chriſtina). 496
Piſcopia (Hel. Cornelia) virgo ἐπιλαγλωτίης. 218
Pii V. epiſtola de uſu calicis laicis etiam concedendo. 298
Plotinus Platonis diſcipulus. 42
Plutarchus Caroli Magni vitam ſcripſiſſe Wicelio dicitur. 41
Portneri (J. A.) laus. 540
Poſſevinus (Ant.) notatus. 33
Proteſtantium Civitatum libellus ſupplex Carolo V. exhibitus. 438
Putſchii vita rar. 173

Q.

QUareſmii dilucidatio Palæſtinæ. 206

R.

RAtisbonæ nomina antiqua. 545
Raynaldi Annalium epitome. 208
Regii (Urb.) Conſilium de Colloquio Memmingenſi. 384. ſqq.

ex Reichenthalii hiſtoria Concilii Conſtant. quædam decerpta. 44
Reiſeri Catalogus MSS. Biblioth. Auguſtanæ. 219
Romulus trium punctorum. 28
Roſini vitæ trium Saxoniæ Electorum rar. 270
Ruſerus (Jo.) 487
Ruſticanum bellum. 325

S.

SAlem. 32
de Sallo. 547
de Saintre (Petit-Jean) l'hiſtoire & plaiſante chronique, rar. 287
Saubertus (Jo.) 213
de Sauſſay (Andr.) liber de myſticis Galliæ ſcriptoribus rar. 274
in Saxia Romæ Hoſpitale magnum. 313
Scalichius (Paul.) plagiarius. 267
Scaligeri (Joſ.) maledicentia. 183
Scaligeri (J. C.) epiſtolæ, & expoſtulationes adverſus Eraſmum. 508. ſqq.
Schappeler (Chriſtoph.) primus Memmingenſium reformator. 318. Zwinglio addictus. 318. ab Epiſcopo Auguſt. citatus. 319. excommunicatus. 321. colloquium habuit cum Pontificiis. 323. 384.

384. ad ſupplicium expetitus vix evaſit. 326. a ſeditionis culpa vindicatur. 326. ſqq. an auctor fuerit articulorum XII. de libertate Chriſtiana. 328. 600. pro eo Apologia. 329
Schefferi Suecia literata. 207
Schenkius (Simp.) Eccleſiæ Memming. miniſter. 336. vehementis ingenii & εἰκονοκλαςης. 339. fœderis Suevici contra eum mandatum. 337
Schilteri, (Jo.) Opus de libertate Eccleſiæ Germanicæ. 560. ſq.
Scholaſticus (Gerv.) Paſtor Memmingenſis. 363
Scholaſticorum multæ ac miræ diſtinctiones ex ebrææ linguæ ignorantia ortæ. 206
de Schola Sorbonica judicium. 208
Schuppii (Jo. Balth.) elogium. 585
Seckendorfii (Vit. Lud.) laus. 306
Sectanii Satyræ raræ. 268
Seneca a quodam tempore Henrici IV. Gall. R. floruiſſe creditus. 39
Serveti Biblia rar. 290
Sequaces nomen viri eruditi eſſe putavit quidam. 16
Seyferti (Jo.) Claſſicum belli ſacri adverſus Grotium. 262
Simſon Chriſto coævus. 41

Simus, inſtrumenti cujusdam muſici inventor, pro ſimio habitus. 30
Siri (Vict.) Hiſtoria rar. 255
Smalcaldicum fœdus. 358. ſqq.
de Solœciſmis literariis diſſertatio. 1. ſqq. tales commiſere, qui ex libris eorumque titulis fabricaverunt homines. 2. qui ex appellativis fecerunt nomina propria. 13. qui ex nominibus propriis fecerunt appellativa. 25. qui ex urbibus viros, & ex viris urbes effinxerunt. 33. qui in ætate auctoribus adſignanda turpiter lapſi ſunt. 39
Solœciſmi ex librorum titulis minus intellectis orti. 34. item ex compendiis ſcripturæ. 38
Solœciſmi varii promiſcue recenſiti. 42. 603
Solœciſmus quem in morte fecit Lipſius. 48
Spee (Frid.) Cautio criminalis rar. 285
Speneri (Phil. Jac.) epiſtolæ. 549
Spizelius (Theoph.) 219
Spica miraculoſa Garneti imagine inſignita. 275. ſqq.
Steuchi Opus de perenni philoſophia rar. 265. maximi æſtimatum a J. C. Scaligero. 266

Steudnerus. 214
Suevici fœderis primates Evangelii ministris infensi. 337. sq.
Sura (Æmil.) 492
Sylburgius pro urbe habitus. 34

T.

TAges. 506
de Temporibus (Discipuli) monitum de præjudicio hermenevtico Apocalypseos explicationem impediente. 452
Theophrastus per solœcismum Aureolus. 13
Thucydidis Cod. MS. in Biblioth. Vindob. 100
S. Tiphaine. 19
Tomus pro nomine viri celeberrimi habitus. 17
Tridentini Concilii editio prima rarissima. 254
Trithemii liber octo quæstionum rar. 289

V.

VAlerius Maximus cum Valeriano Magno confusus. 42
Valesiorum (Hadr. & Henr.) epistolæ. 529

Vander. 34
Varillaſius notatus. 43
apud Venetos præſtantiorum librorum penuria. 217
Verderius (Ant.) notatus. 37
Vergerii (P. P.) opuſcula quædam rariora recenſita. 243. ſqq.
Uffenbachius (Zach. Conr.) 97. incomparabilis ejus theſaurus epiſtolicus. 508
Viatica peregrinantis. 35
Vulcanii (Bonav.) opus de literis & lingua Gothorum rar. 258

W.

WAgenſeilia (Hel. Sib.) in pangendis carminibus felix. 197
Wagneri, Fauſti famuli, vita. 56
Weiland adverbium German. pro nomine proprio habitum. 16
Welſchii (Georg. Hieron.) laus. 490. Supplementorum ad Bibliothecam Geſnerianam ſpecimen. 492
Welſeri (Marci) laudes. 117. Monumentorum Auguſtan. ſupplementum. 120. ſqq.
Wicelius notatus. 41
Wilmersdorfium pro viro habitum. 33
Wolfgangus, Lupambulus. 33

X.

XEnophontis Codex MS. in Biblioth. Vindob. 104. ſqq.

Z.

ZWinglius (Ulr.) Confeſſionem Tetrapolitanam non improbat. 355. ejus epiſtola ad Memmingenſem Senatum. 445

Emendanda.

In Tom. II. p. 400. lin. 3. pro 1562. lege 1555.
Tom. III. p. 24. lin. 17. pro 1587. lege 1586. p. 30. lin. 18. dele *in officina Johannis Lufft.* p. 31. lin. 4. pro *eadem* lege *Joannis Lufft.*
Tom. V. p. 3. lin. 3. quem. p. 19. l. 15. Lonchi. p. 116. l. 19. poſt *editum* adde *a.* p. 117. l. 16. Thomas. p. 175. l. 1. Le trentieme. p. 185. l. 1. paria. p. 209. l. 26. ibique. p. 245. l. 10. tuliſſe. p. 250. l. 14. Jacobi. p. 262. l. 21. convellendi. p. 268. l. 6. Paſſeratii. p. 286. l. 11. MDXXXIIII.
Tom. VI. p. 305. lin. 17. Lutheri. p. 310. l. 9. terrifico. p. 313. l. 30. 1649. p. 337. l. 3. expelleret. p. 355. l. 6. propatulo. p. 361. l. 9. Nuenario. p. 458. l. 6. Fuſtianis. p. 467. l. 17. Wirſungum. p. 470. l. 23. pro S. lege *Lamed.* p. 477. l. 23. pro *ſed* leg. *ſi.* p. 483. l. 11. poſt vocem *modo* add. *non.* p. 489. l. 12. legerent. p. 508. l. 23. exiſtimarit.

Reliqua lectoris æquitati permittimus.